



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Nucleus Juris Canonici**

**Thenhaven, Bernhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1739**

Libri Primi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

tionem habentibus, acceptatæ, de quibus Publicistæ, ut Schwederus, Vitriarius, &c.

18. Unde Jurisprudencia publica Romano-Germanica describi solet, quòd sit: Habitus practicus Leges publicas Romano-Germanicas in genere positas ad casus speciales in ea Rep. existentes applicandi, ut appareat, quid justum in iis sit, quid injustum. His prælibatis sit

## LIBER primus Decretalium.

### TITULUS I.

#### *De Summa Trinitate & Fide Catholica.*

1. **A** DEO supremo Legislatore, uti JUSTINIANUS Codicem, ita GREGORIUS IX. auspiciatur Jus Canonicum, quia Leges Ecclesiasticæ potissimum ex Præceptis Divinis & principiis Fidei, veluti rivuli è fontibus, eliciuntur. Itaque hoc Titulo de DEO & Fide statuuntur sequentia:

2. I. In Decretalibus *Cap. Firmiter 1.*  
 „ Firmiter credendum proponit Pontifex, Unum esse DEUM & tres Personas,  
 „ sed unam Essentiam sive Naturam: Uni-  
 „ genitum DEI Filium esse incarnatum  
 „ pro salute humani generis, in ligno Cru-

„ cis passum & mortuum &c. Cujus Cor-  
 „ pus & Sanguis in Sacramento Altaris  
 „ continentur, transubstantiatis pane in  
 „ Corpus, & vinô in Sanguinem: Unam  
 „ esse fidelium universalem Ecclesiam,  
 „ extra quam nullus omninò salvatur: Sa-  
 „ cramentum Baptismi ritè collatum tam  
 „ parvulis, quàm adultis, proficere ad sa-  
 „ lutem; ac si post Baptismum quisquam  
 „ prolapsus fuerit in peccatum, per veram  
 „ posse semper pœnitentiam reparari. De-  
 „ nique non solum virgines & continen-  
 „ tes, verum etiam conjugatos per rectam  
 „ fidem & operationem bonam ad æter-  
 „ nam mereri beatitudinem pervenire.

3. C. *Damnamus. 2. h. T.* damnat Pon-  
 „ tificem Tractatum Abbatis Joachim con-  
 „ tra Petrum Lombardum, in quo negat,  
 „ Tres Personas Divinas esse unam Essen-  
 „ tiam & Naturam, asserens, solum esse  
 „ inter illas unitatem similitudinariam,  
 „ quemadmodum multi Fideles sunt una  
 „ Ecclesia; hanc sententiam vel doctri-  
 „ nam defendens vel approbans tanquam  
 „ hæreticus ab omnibus evitetur. Per hoc  
 „ tamen Joachim non fuit damnatus tan-  
 „ quam hæreticus, quia propriâ manu  
 „ subscripsit, quòd omnia scripta sua Apo-  
 „ stolicæ Sedis judicio approbanda seu  
 „ etiam corrigenda submittat, eamque

B

„ fidem

„fidem teneat, quam Romana tenet Ec-  
 „clesia, cunctorum Fidelium Mater &  
 „Magistra. Reprobatur quoque perversi-  
 „simum dogma impii Almarici, cuius  
 „doctrina non tam hæretica, quam insana  
 „est censenda. Verum quale fuerit in  
 „specie dogma, in textu non exprimitur.  
 Inter cætera fertur docuisse: 1. Christus  
 non est cum corpore aliter in Eucharistia,  
 quam in alio pane. 2. Deus sic locutus  
 est in Ovidio, sicut in Augustino. 3. Eri-  
 gentes Altaria & colentes imagines sunt  
 idololatræ. 4. Nulla speranda est gloria,  
 aut timenda gehenna. 5. Si actus pecca-  
 minosus fiat ex affectu charitatis, cessat  
 esse malus. 6. Si Adam non peccasset,  
 nulla fuisset sexûs diversitas, sed homines  
 multiplicarentur sicut Angeli, &c. Ob  
 quos errores ejus ossa Parisiis jussu Regis  
 combusta sunt.

4. II. In Sexto. *Cap. unic. Fidei. b. T.* Pon-  
 „tifex damnat omnes, qui negare præ-  
 „sumpserint, æternaliter Spiritum S. ex  
 „Patre & Filio procedere; sive etiam te-  
 „merè ausint asserere, quòd Spiritus S. ex  
 „Patre & Filio tanquam ex duobus prin-  
 „cipiis, & non tanquam ex uno, procedat.

5. III. In Clementinis *Cap. unic. Fidei*  
 „*Catholicae. b. T.* damnatur doctrina asse-  
 „rens, quòd substantia animæ rationalis

„verè

„ verè ac per se humani corporis non fit  
 „ forma: Rejicitur opinio dicentium, par-  
 „ vulis quidem in Baptismo culpam re-  
 „ mitti, sed gratiam non conferri; & ap-  
 „ probatur opinio docens, quòd in ipsa  
 „ justificatione cum remissione peccato-  
 „ rum conferantur gratia & virtutes; quæ  
 „ de facto *ex Trid. sess. 6. Can. 11.* ubi dicit:  
 „ Si quis dixerit, homines justificari solâ  
 „ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ  
 „ & charitate, anathema fit, est de fide.

Contenta hujus Tituli Canonistæ ad Theologiam, velut sedem illorum propriam, remittunt.

## TITULUS II.

### *De Constitutionibus.*

**I.** CONSTITUTIO, sic dicta à *statuendo*, est  
 lex positiva condita ab habente po-  
 testatem obligandi subditos. Unde, per se  
 loquendo, Ordinationes seu Statuta Ca-  
 pitulorum, à Papa vel Episcopo non ap-  
 probata, in rigore statuta non sunt ob de-  
 fectum jurisdictionis & potestatis legis-  
 lativæ; sed solum obligant membra talis  
 Collegii vi præstiti juramenti, vel per mo-  
 dum pacti ab iis initi. Quæ à Canonistis  
 h. T. tradi solent de Legibus, vide com-  
 pendiosè tradita in Nucleo Theologiæ

Canonico - Moralis Exam. 2. per totum.  
Præcipua *b.T.* Capita sunt:

2. I. In Decret. Cap. 6. *b.T.* „ Cùm Tre-  
„ censes Canonici fructus tam in præsen-  
„ tia quàm absentia perciperent, hanc con-  
„ suetudinem novo statuto in præjudi-  
„ cium successorum seu juniorum senio-  
„ res tentârunt abrogare; sed Pontifex id  
„ vetuit, & antiquos Canonicos juniori-  
„ bus, ac antiquis juniores cœquari man-  
„ dat; quia, quod quisque juris in alterum  
„ statuit, ipse uti debet eodem; & sapientis  
„ auctoritas dicit: Patere legem, quam  
„ tuleris. „ Injustitia hujus statuti erat,  
„ quia non pro utilitate Ecclesiæ, (pro qua  
„ fieri potuisset cum consensu Episcopi) sed  
„ solum in utilitatem seniorum & præjudi-  
„ cium juniorum, inæqualitatem induce-  
„ bat. Potest tamen Capitulum receptam  
„ consuetudinem, à jure non reprobata,  
„ percipiendi fructus in absentia abrogare;  
„ imò & tali privilegio, etiam à Papa con-  
„ firmato, renuntiare, ut fiat regressus ad  
„ jus commune. Ita Canonistæ.

3. „ C. 10. Synodus III. Romana sub  
„ Symmacho Papa statuit, quòd laicis su-  
„ per Ecclesiis nulla sit attributa facultas,  
„ quos obsequendi manet necessitas, non  
„ auctoritas imperandi; à quibus, si quid  
„ motu proprio statutum fuerit, quod Ec-  
„ cle-

„clesiarum etiam respicit commodum &  
 „favorem, nullius firmitatis existat, nisi  
 „ab Ecclesia fuerit approbatum. „ Ve-  
 rum id ita accipiendum est, ut si lex favo-  
 rabilis contineat aliquam obligationem  
 seu speciem Jurisdictionis, prout in L.  
*Jubemus 14. C. de Ss. Eccl.* circa alienatio-  
 nem bonorum Ecclesiasticorum, nulla fit.  
 Secus, si sit merè favorabilis & purum  
 privilegium, ut in *Auth. Item nulla Com-  
 munitas C. de Episc. & Cler.* ubi Ecclesiæ  
 & Personæ Ecclesiasticæ ab exactionibus  
 & oneribus realibus, per sæculares Ma-  
 gistratus imponendis, liberæ pronuntian-  
 tur; ne, quod in favorem Ecclesiarum  
 est introductum, quòd legibus sæcula-  
 rium non subjaceant, in earum odium re-  
 torqueatur, contra C. *Quod ob gratiam* de  
 R. J. in 6. ita Engel in *Proæm. n. ult.*

4. „C. II. Cum Universitas P. statuis-  
 „set, ut, si quis Ordinationi illius pertina-  
 „citer resisteret, Communionem privare-  
 „tur, mandat Pontifex: contumacem, ast  
 „nunc humiliter parere conantem, resti-  
 „tui; vigore tum Juris Canonici, tum  
 „moris Pontificum (i. e. juxta stylum  
 „Curie) qui habet, ut contumax satis-  
 „factione exhibitâ restitutionem obtineat.  
 Ratio, quia privatio Communionis ob  
 contumaciam (nisi transferit in specifi-  
 cum

cum crimen) censetur statuta per modum Censuræ, à qua, cessante contumaciâ & præstitâ satisfactione, Jure communi debetur absolutio; aliud est de pœna ad vindictam delicti perpetrati imposta, quæ per se durat perpetuò, ut degradatio &c. Ita Gonzalez ad *b. c.*

5. „C. 12. Cùm Episcopus E. querere-  
 „tur, Canonicos suos, redditibus Ecclesiæ  
 „licet non diminutis, propriis commodis  
 „inhiantes, Præbendarum numerum re-  
 „strinxisse, mandat Pontifex antiquum  
 „ordinem servari, non obstante Statuto  
 „Canonicorum, quantumvis Apostolicâ  
 „auctoritate confirmato. „ Hinc quam-  
 „vis Canonici, auctis Ecclesiæ redditibus,  
 „possint augere numerum Præbendarum;  
 „restringere autem non possunt, nisi de-  
 „ficientibus seu diminutis ita fructibus, ut  
 „non sufficiant ad tot Canonicorum susten-  
 „tationem; (quo casu id possunt cum Epi-  
 „scopo, juxta Trid. *sess. 24. de Ref. c. 15.*) quia  
 „cultus Divinus augeri, non diminui debet.

6. „C. 13. Declarat Pontifex, Constitu-  
 „tionem, in favorem Majoribus Ordini-  
 „bus insignitorum à se nuper editam, non  
 „ad præterita, sed ad futura tantum ex-  
 „tendi, seu tantum ad Canonicos post  
 „dictam Constitutionem admissos, cum  
 „Leges & Constitutiones futuris certum  
 „sit

„fit dare formam negotiis, non ad præ-  
 „terita facta trahi, nisi nominatim in eis  
 „de præteritis caveatur.

7. „II. In 6.c.1.b.T. Rom. Pontifex (qui  
 „jura omnia in scrinio pectoris sui cen-  
 „setur habere) Constitutionem conden-  
 „do posteriorem priori contrariam, hanc,  
 „quamvis de ipsa mentionem non fecit,  
 „revocat; quia tamen locorum ac perso-  
 „narum speciales consuetudines & statu-  
 „ta (cum sint facti, & in facto consistant)  
 „potest probabiliter ignorare, ipsis, dum  
 „tamen sint rationabilia, per Constitutio-  
 „nem à se noviter editam (nisi expressè  
 „caveatur in ipsa) non intelligitur in ali-  
 „quo derogare. „ Hinc apponi solet hæc  
 clausula generalis in literis Apost. *Non  
 obstante quocunque Statuto vel Consuetudi-  
 ne etiam immemoriali.* Imò Pontifex non  
 censetur derogare Decretis Concilii Ge-  
 neralis, nisi factâ eorum expressâ men-  
 tione sub hac v. g. clausula: *Non obstante  
 quacunque Lege, etiam in Concilio generali  
 editâ.* Porrò Pontifex (idem est de Prin-  
 cipe) censetur omnia Jura habere in scri-  
 nio pectoris sui per interpretationem vel  
 præsumptivè; tum quia ipse ignorare non  
 debet, quod præcipit alios scire. *D. 9. c. 2.  
 Justum;* tum propter Sapientes & Con-  
 siliarios sibi assistentes, nam & ipsi pars

Corporis ejus sunt. *L. 5. Quisquis C. ad L. Juliam.*

8. „C. 2. Statutis Ordinariorum non „ligantur ignorantes: neque Statuto Epi- „scopi, illius subditi extra Diocesim de- „linquentes. „ Verùm hic Textus non loquitur de Generalibus Statutis Canonum vel Legum, quæ ab omnibus sciri & custodiri debent, per *R. 7. 13. in 6. Ignorantia facti non Juris excusat. Vide Nuc. Theol. Exam. 2. n. 4.*

### TITULUS III.

#### *De Rescriptis.*

**I.** **N**ota I. RESCRIPTUM propriè esse responsum in scriptis à Principe Ecclesiastico vel sæculari datum ad alterius consultationem, relationem, vel supplicationem. Hinc differt à *Decreto*, quod vel à Concilio Generali, vel à Pontifice motu proprio statuitur: Item à *Lege*; nam licet Rescriptum sæpè faciat jus inter partes, non tamen fertur pro tota Communitate, neque solemniter publicatur, quod ad rationem Legis requiritur. Quare quamvis Corpus Juris tam Canonici, quam Civilis, magna ex parte constet ex Rescriptis Pontificum vel Imperatorum datis ad particulares, ea non habent vim Legis

ex primæva origine, sed per hoc, quòd publicâ auctoritate in Corpus Juris redacta sint.

2. Nota 2. Rescripta alia esse *Justitiæ seu ad lites*, quæ expediuntur secundùm Jus ad Judices Delegatos pro Justitia administranda cum causæ cognitione inter partes; quæ non habent effectum ante tempus præsentationis. Alia *Gratiæ*, quæ conceduntur ad obtinendam gratiam ex liberalitate Principis; (valéntque regulariter à die Datae; nam *c. 7. h. T.* ait Pontifex: „Datam in iis esse attendendam; hinc illius virtute non potest conferri Beneficium curatum illi, qui tempore Datae necdum habebat ætatem idoneam ad illud, etsi postea fiat legitimæ ætatis, quod expressè statuitur *c. 9. h. T. in 6.*) idque vel contra Legem, ut Privilegia & Dispensationes; vel præter Legem seu circa ea, quæ Jure decisa non sunt, v. g. si supplicanti gratosè aliquid concedatur, quod neque est secundùm neque contra Jus, ut Indulgentiæ (quæ conceduntur per Breve Apostolicum seu literas in membrana candida caractere Latino ac nitido scriptas, & à tergo cerâ rubeâ chordulis lineis inclusâ annulòque Piscatoris signatas) & Beneficia, quæ conferuntur per Bullam seu literas expeditas sub plum-

bo seu sigillo plumbeo (pendente ex chorda serica rubei & crocei coloris, si conferantur *in forma gratiosa*, id est, si Papa conferat alicui Beneficium, quem dignum supponit, adjunctâ Bullâ executoriâ, ut provifus statim in possessionem mittatur; vel ex chordula de canabe, si concedantur *in forma Dignum*, i. e. si impetranti non fiat provifio à Papa, sed ea facienda committatur Ordinario cum mandato, ut, si ipse prævio examine idoneus reperiat, ei conferatur Beneficium) & conscriptas in membrana magis nigra & rudi, atque antiquo caractere Gallico.

3. Nota 3. Rescripta per sub-vel obreptionem obtenta vel esse ipso jure irrita, si sint Gratia; vel saltem ope exceptionis irritanda, si sint ad lites. *Obreptitia sunt*, quæ impetrantur per expressionem falsi, quod sit causa motiva; nam *c. 2. h. T.* expressè deciditur: „In literis Apost. femper subintelligi clausulam, si preces veritate nitantur, esto non sit inserta. Et „*c. 15.* Quia fraus & dolus nemini patrocinari debent, mendax precator carere „debet penitus impetratis. „ *Subreptitia sunt*, quæ impetrantur tacitâ veritate eorum, quorum expressio de jure aut stylo Curia ad formam substantialem Rescripti præscripta est. Varia hujusmodi *h. T.* ut  
ralia

talia decernuntur, nempe *c. 3.* „Si quis  
 „super eodem negotio obtineat Rescri-  
 „ptum ad lites posterius, non factâ men-  
 „tione prioris, nisi impetrans prius infra  
 „annum, si Judicis Delegati copiam habe-  
 „re potuerit, eo usus non fit, ut deciditur  
 „*c. 9. & 23. h. t.* Item *c. 8.* Si quis obtineat  
 „à Papa literas Beneficiales suppresso no-  
 „mine Dignitatis Ecclesiasticæ præhabi-  
 „tæ; aut tacito Beneficio præhabito ex  
 „*c. 17.* aut non factâ mentione de Vicaria  
 „perpetua ex *c. 27.* aut tacitis annuis pen-  
 „sionibus ex *c. 31.* aut subdito Beneficio  
 „quantumvis modico & minus compe-  
 „tenne. „ Et plura alia de jure sunt expri-  
 menda. Vide infra *T. 31. n. 7.*

4. Nihilominus *in 6. c. 7. h. T.* ait Pon-  
 tificex: „Gratia vitiosa censerî non debet,  
 „quamvis impetrans de alio Beneficio sibi  
 „absenti & ignoranti collato tacuerit; si  
 „tamen sint incompatibilia, debet alteru-  
 „trum dimittere. „ Item *motus proprius*  
 Papæ omnem subreptionem (non obre-  
 ptionem) evacuat, per se loquendo, quod  
 tamen patitur suas limitationes apud  
 Leur. hîc *Q. 300.* omiffis variis capitibus  
 de mandatis, de providendo super Benefi-  
 ciis vacaturis, quæ per *Trid. sess. 24. de Ref.*  
*c. 19.* sublata sunt, eò quòd præbeant votum  
 captandæ mortis, specialiter notanda sunt  
 sequentia:

5. I. In Decret. c. i. b. T. „Cùm Judicij  
 „Delegato causa alicujus sublato appella-  
 „tionis remedio committitur, & literis  
 „Apostolicis altera pars munita (quibus  
 „ei generaliter indultum, ut liberè sibi  
 „liceat appellare) in vocem appellationis  
 „proruperit; respondet Pontifex, quòd  
 „ejus in hac parte appellatio non debeat  
 „admitti, quia speciale mandatum dero-  
 „gat generali. „ Hinc R. J. 34. *Generi per  
 speciem derogatur.*

6. C. ii. „Literis Apost. quæ mani-  
 „festum continent in constructione pec-  
 „catum, Pontifex nullam vult fidem adhi-  
 „beri. „ Ratio, quia eæ per tot Doctorum  
 manus transeunt, leguntur & releguntur,  
 ut verosimile non sit, illos errorem mani-  
 festum (aliud est de levi, v. g. ob defectum  
 unius literæ vel syllabæ) incorrectum re-  
 liquisse; unde oritur præsumptio juris eas  
 à Papa non prodiisse, adeoque in totum  
 seu quoad omnes partes de falsitate sunt  
 suspectæ; aliud est de Testamentis & In-  
 strumentis Notariorum, quia hæc non  
 transeunt per tam multas manus, ideoque  
 facile potest irrepere falsa latinitas, ex L.  
*De errore C. de Testam. An & quando ra-  
 sura, juxta c. 25. b. T. vel marginalis aut  
 superlinearis scriptura vitiet rescriptum?*  
 Vid. Reiffenst b. T. n. 224.

7. „C. 28. statuit Pontifex, ne quis ultra duas diætas extra suam Diæcesin per literas Apost. ad iudicium trahi possit; nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hac Constitutione fecerint mentionem; imò juxta *c. ii. h. T. in 6.* Reus nequit per eas conveniri ultra unam dietam à fine suæ Diæcesis. „ *Quot leuæ requirantur ad dietam seu iter unius diei?* Petendum ex communi usu cuiusque loci.

8. „C. 34. Cùm R. contra U. Rhemenis Diæcesis literas impetrâisset, idem U. contra excepit, se per eas literas conveniri non posse nec debere, eò quòd non esset Diæcesis Rhemenis, sed Leodiensis; & Pontifex rescribit: Si est ità, exceptionem admitti debere. „ Unde error in nomine Diæcesis regulariter vitiat rescriptum; non autem error in nomine vel cognomine, si constet de persona, pro qua est concessum; & disparitas est, quia error in nomine non est causa motiva concedendi tale rescriptum, benè tamen error in Diæcesi; nam rescripta justitiæ non solent concedi nisi ad Judices intra Diæcesin Rei existentes; vel saltem non nisi cum clausula derogatoria dietarum; uti nec Dispensationes matrimoniales, nisi ad Ordinarios sponsæ.

9. II. „ In 6. c. i. b. T. Ipso jure rescriptum non valet, si ab excommunicato super alio, quàm excommunicationis vel appellationis articulo, fuerit impetratum. „ Hinc in literis Apost. Impetrans ad cautelam, semper absolvitur à Censuris *ad effectum presentium duntaxat consequendum.* Verùm hic textus solùm procedit de Excommunicato excommunicatione majori, quia minor privat solâ participatione Sacramentorum, adeoque non impedit impetrationem rescripti.

10. „ C. 2. Statuit Pontifex, ut per illam clausulam: *Et quidam alij*, rescripto incertam, nemo ultra tres vel quatuor in judicium trahat, eorùmque nomina in primo citatorio Impetrans exprimat, ne locus sit fraudi, si liberè possit variare, & pro nominatis alios substituere. „ Per quod limitatur c. 15. in Decret. h. T. ubi tantùm deciditur: „ quòd non liceat occasione generalitatis hujusmodi personas majores & digniores expressis nec multitudinem effrænata in judicium evocare, i. e. quadraginta personas, ut olim licebat ex c. 37. *de Testibus & attest.*

11. „ C. 6. Illi, cui mandatur provideri de beneficio vacante per resignationem, non potest provideri de beneficio vacante per mortem. Si duo idem bene-

„ ficium

beneficium proponant vacare, unus per obitum, alter per cessionem, quod verum erat, debet posterior præferri. Unde si post resignationem invalidam resignans moriatur, & resignatarius tunc petat literas sanatorias seu *Perinde valere*, eæ nullæ sunt, quia beneficium sic vacans per obitum spectat vel ad Turnarium, vel ad liberam Papæ dispositionem, in cujus mense obitus contigit. Notat Wagnereck ad *b. c.* Si constitutus in articulo mortis renuntiet, tunc secutâ morte, dicitur beneficium vacare per mortem & non per renuntiationem; ex vicinitate enim actuum præsumitur fraus, ut in *L. Si ventri. §. in bonis. ff. de privil. cred.* & ad fraudi obviandum statuta est Regula *De viginti.*

12. „C. II. Sanxit Pontifex, ut nullis, nisi Dignitatem aut Personatum habentibus, sive Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ auctoritate literarum Sedis Apost. committantur. Si Actor & Reus sint ejusdem Diœcesis, causa non committatur extra illam; si fuerint diversæ Diœcesis, & Actor in Diœcesi Rei agere nolit, Judicem non in sua sed alia Diœcesi impetret, Reumque eò trahat, non tamen ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis. Judex nullum munus, nisi forte esculentum, vel poculentum, vel ra-

„tione

„ tione itineris ad causam commissam ne-  
 „ cessarii vel utilis: sed moderatas expen-  
 „ sas ab utraque parte; & ubi notabiliter  
 „ fuerint pauperes, nihil omninò reci-  
 „ piant. Assessorem non, nisi indigeat, sibi  
 „ adjungat, eúmque neutri parti suspe-  
 „ ctum, cui utraque pars moderatum det  
 „ salarium.

13. „ C. 15. Indulgentias perpetuas de  
 „ fructibus Beneficiorum, Distributioni-  
 „ bus quotidianis duntaxat exceptis, in ab-  
 „ sentia percipiendis (unde datur occasio  
 „ vagandi, minuitur Cultus Divinus, &  
 „ Officium, propter quod datur Benefi-  
 „ cium, plerúmque omittitur) multis per-  
 „ sonis; non Ecclesiis vel Dignitatibus  
 „ concessas, Pontifex penitus revocat.

Unde híc non revocatur Privilegium  
 concessum Dignitati v. g. Præposituræ;  
 aut temporale concessum ad certum tem-  
 pus, v. g. quinquennium causâ studiorum,  
 vel etiam incertum, v. g. quamdiu quis  
 versatur in servitio Episcopi, quia per se  
 perpetuum non est, licet per accidens &  
 casu fieri possit, ut totâ vitâ hominis duret.  
 De Residentia agetur L. 3. T. 4.



## TITULUS IV.

*De Consuetudine.*

I. CONSUETUDO in præsentis est jus non scriptum, sed moribus populi seu frequentatis actibus introductum, quod pro lege suscipitur: estque vel *secundum Legem*, si præexistentem in usum deducat, vel ambigam interpretetur, & ut dicitur *c. 8. h. T.* Consuetudo est optima Legum interpres: vel *præter Legem*, si inducat Jus novum circa ea, de quibus nulla lex posita fuit: vel *contra Legem*, quâ Lex scripta vel nunquam usu recipitur, vel jam recepta denuo contrariis moribus usu longævo abrogatur. *Quomodo Consuetudo possit introducere & abrogare Legem?* Vide in Nuc. Theol. *Exam. 2. n. 12. §. 2.*

2. Hoc Titulo nonnullæ Consuetudines tanquam corruptelæ reprobantur, aliquæ ut rationabiles admittuntur. Nam irritæ decernuntur Consuetudines sequentes:

3. „I. In Decret. *c. 1. h. T.* Quæ Ecclesiis „gravamen noscuntur inducere. C. 5, Per „quas disrumperetur nervus Ecclesiasti- „cæ disciplinæ, v. g. quòd in generali in- „terdicto pulsatis campanis altâ voce Di- „vina officia celebrentur. C. 7. Quòd „liceat Abbati de uno Monasterio imme-  
C „diatè

„diatè Pontifici subiecto ad aliud exem-  
 „ptum sine licentia Papæ transire. C. 11.  
 „dicitur: Naturali Juri (cujus transgressio  
 „periculum salutis inducit) nullâ con-  
 „suetudine potest derogari: sed neque  
 „longæva consuetudo, licet non sit vilis  
 „ejus auctoritas, Juri positivo debet præ-  
 „judicium generare, nisi fuerit rationa-  
 „bilis & legitimè præscripta.

4. „II. *In 6. c. 1.* Consuetudinem, licet  
 „immemorialem & juratam, ut Canonici  
 „in eadem Ecclesia duas Dignitates, Per-  
 „sonatus aut Officia insimul & Præben-  
 „dam possint licitè obtinere sine dispen-  
 „satione Papæ, Pontifex tanquam cor-  
 „ruptelam reprobatur. Et c. 2. dicitur: Con-  
 „suetudo non est rationi consona, quòd  
 „ab Officiali Episcopi ad Episcopum va-  
 „leat appellari, ne ab eodem ad seipsum  
 „(cùm idem sit Auditorium utriusque)  
 „videatur appellari. De hoc in *Tit. 28.*  
*de Offic. Vicar.*

5. „Econtra à Jure hoc Titulo appro-  
 „batur I. in Decret. C. 2. consuetudo tra-  
 „dendi possessionem sacris locis, per hoc,  
 „quòd donans in manu accipiat modi-  
 „cum terræ, illudque vel in manu Prælati  
 „Ecclesiæ seu super Altare publicè ponat,  
 „quod *Scotatio* appellatur. Item C. 8. con-  
 „suetudo, quòd penes Collegium A. possit  
 „effic

„ esse jus activum eligendi sibi Prælatum,  
 „ & jus passivum penes Capitulum B. ut ex  
 „ hujus gremio teneantur unum eligere.

6. „ II. In 6. c. 4. b. T. toleratur consuetudo,  
 „ quâ antiquiores Canonici gradatim pos-  
 „ sint meliores, cum in ipsa Ecclesia va-  
 „ cant, optare sive eligere Præbendas. Per  
 quod non fit nova collatio, sed optans, vi-  
 gore Tituli Canonialis & consuetudinis  
 optandi receptæ, dimittit antiquam Præ-  
 bendam & recipit novam, quæ consistit in  
 rebus merè temporalibus, videlicet aliis  
 agris, vineis, domo &c. Ita Pirrhing n. 77.

## TITULUS V.

### *De Postulatione Prælatorum.*

I. POSTULATIO propriè dicta, de qua in  
 præfenti, est quædam gratiæ petitio  
 à Capitulo seu Collegio ad Superiorem  
 directâ, ut is aliquem ob defectum vel im-  
 pedimentum Canonicum (in quo dispen-  
 sare possit aut soleat) ineligibilem ad Præ-  
 laturam vel Dignitatem Ecclesiasticam  
 dispensativè seu ex gratia ad eandem ad-  
 mittat & promoveat, diciturque *Solemni*;  
 quæ differt à *Simplici* seu *non solemni*,  
 quando à Superiore non petitur, ut dispen-  
 sativè aliquem promoveat, sed solum po-  
 stulatur licentia & consensus, ut ipsi sub-

jectus in sui electionem vel postulationem consentire possit. Sic Religiosus sine dispensatione eligi potest in Episcopum, qui tamen ante sui Prælati licentiam in electionem de se factam consentire non potest. Circa solemnem specialiter hîc statuitur.

2. „I. In Decret. *c. 1. b. T.* scienter violans Interdictum à Postulatione repellitur. *C. 2.* Cùm cassatâ Postulatione Episcopi A. ob violatum ab eo Interdictum, Canonici plures, post concessam novam electionem vel postulationem de persona congrua, dictam postulationem innovare denuò nitebantur, alii autem pauciores numero postulabant Episcopum B. horum postulatio est admissa, quia priores, abutendo potestate sibi concessâ, eo ipso potestate eligendi vel postulandi erant privati, eâ hoc casu remanente apud pauciores tanquam consilio faniores. Unde Postulatio aut Electio ob vitium personæ rejecta, sub pœna privationis vocis activæ reiterari nequit.

3. „C. 3. Postulationem in discordia, seu à minori quàm tertia parte factam (cùm etiam ad concordem admittendam Sedes Apost. non tam ex justitia quàm gratia moveatur) decernitur, non esse admittendam. Ex quo à contrario arguunt DD. si postulatio fuisset facta à ma-

jori parte Capituli, vel saltem tertiâ parte (seclusâ concurrente electione, quia tunc postulatus debet habere duas tertias, de quo *Tit. seq.*) cæteris votis prorsus dispersis, Pontifex non negâset consensum, ut notat *Wagnereck ad h. c.*

4. „ C. 4. Postquam Postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, & præsentatur Rom. Pontifici approbanda, statuitur, non posse ab ea recedere postulantes, quia aliàs frequenter Papæ illuderent, & judicium illius pendere ex illorum arbitrio videretur. Unde ante præsentationem variare poterunt, postea verò neutiquam.

5. „ C. 6. Cùm Episcopus, utpote suæ alligatus Ecclesiæ, liberum non habeat sine permissione Apost. volatum, electionem ipsius in Archi-Episcopum, tantquam contra Canones minus licite attentatam, Pontifex duxit irritandam, cum eligi nullo modo potuerit, sed postulari. Idem tradit *Reiffenst. hîc n. 41.* de Episcopis duntaxat Titularibus, eo quod, licet Clero careant & populo Christiano, sunt tamen veri Episcopi, iisque juxta stylum Curix solent concedi Brevia eligibilitatis; quod utique non fieret, si de jure essent eligibiles. Aliud est de Cardinalibus non Episcopis, qui tantùm debent

postulari non solemniter pro licentia Papali, ut possint exire Curiam, seu discedere ab Ecclesia Rom. (cui sunt specialiter adscripti) ad Ecclesiam, in cuius Episcopum eliguntur; & hoc sensu dicuntur habere alas ligatas.

6. „II. In 6. C. un. b. T. prohibet Pontifex sequentes formulas tanquam sibi adversantes & imperfectas: *Eligo postulando*, vel: *Postulo eligendo*; aut: *Eligo postulandum*, vel: *Postulo eligendum*. Item: *Eligo in postulandum*, aut: *Postulo in eligendum*. Hanc itidem: *Eligo & Postulo*, prout melius potest de jure valere, quia continet incertitudinem; quam tamen admittit, quando dubitatur, utrum quis eligi vel potius postulari debeat, sed tenetur ita electus aut postulatus, ne in incerto vagetur, quando consentit, viam electionis vel postulationis eligere, & in ea, quam elegit, permanere. Hanc disjunctivam electionem & postulationem non solum procedere in dubio facti, v. g. an assumendus in Episcopum attigerit annum xxx. sit legitimus, &c. sed etiam in probabili dubio juris, communiter asserunt Canonistæ. Verum factâ intra terminum juris datum ad consentiendum, determinatione ad viam Electionis vel Postulationis, non admittitur variatio, ne

quis in incertō vagetur, cum ipsius Eccle-  
 siæ vel etiam adversarii, si quem habet,  
 præjudicio; nam juxta R. J. ff. 75. *Nemo  
 potest mutare consilium suum in alterius in-  
 juriam.* Unde quamvis actus in origine  
 institui possit cum incertitudine, debet  
 tamen in executione, antequam perficia-  
 tur, certificari. Neque his obstat c. 2. de  
 Elect. in 6. *Nam*, ut ait Wagnereck ad h. c.  
 solum in eo prohibetur incertitudo suf-  
 fragii ex parte ipsius eligentis, qui non  
 vult aut nequit se determinare ad certam  
 personam, ad quam se determinat, dicens:  
*Eligo & postulo &c.*

7. III. „ In Extrav. comm. c. un. h. T.  
 „ prohibet Pontifex edicto perpetuo, ne,  
 „ qui XXVII. ætatis annum non attige-  
 „ runt, ad Ecclesias Cathedrales; nec Re-  
 „ ligiosi Mendicantes ad inferiores Cathe-  
 „ dralibus Ecclesias, aut Monasteria extra  
 „ suos Ordines postulentur; secus facta  
 „ sint irrita, & scienter contrafacientes eâ  
 „ vice eligendi, ac postulandi potestate  
 „ privantur, aliisque pœnis tum Postulan-  
 „ tes, tum talis Postulatus, si consenserit,  
 „ subjiciuntur.



## TITULUS VI.

*De Electione & Electi Potestate.*

1. **E**LECTIO est Personæ idoneæ seu nullo impedimento laborantis ad Ecclesiam vacantem seu Prælaturam per vota Capitularium aliorumque, quibus jus eligendi per Privilegium aut legitimam consuetudinem competit, Canonica vocatio, i. e. facta juxta præscriptum Canonum, absque vitio tum formæ Electionis, tum Eligentium, tum ipsius Electi.

2. Unde Electio differt 1. à *Postulatione*, quæ est de Persona, laborante impedimento Canonico dispensabili; & innititur gratiæ, ut Postulatus non possit sine nota ambitionis absolute consentire, licet possit dicere: *Non dissentio*, vel *Committo me dispositioni Superioris, si velit dispensare*. Econtra Electio innititur Justitiæ & tribuit Jus ad rem, potestque Electus statim consentire. Hinc Postulatio dicitur admitti, Electio confirmari. 2. A *Nominatione*, per quam non unus, sed plures à Capitularibus Superiori proponuntur, ut ex iis unum ad Prælaturam vacantem promovere velit; possuntque Nominantes ante Præsentationem factam variare, aut procedere ad Electionem, juxta C. 28. b. T.

Pro clariori præsentis Tit. in Jure Canon.  
ferè famosissimi intelligentia, dividitur  
in Paragraphos.

§. I. De forma Electionis.

I. „ Circa hanc statuitur I. in *Decret.*  
„ c. 14. h. T. Forma Electionis Canonice  
„ in omnibus Ecclesiis observetur, ut cum  
„ iis de novo Pastore providendum, Ele-  
„ ctiores in unum locum conveniant, & in-  
„ vocatâ Spiritûs S. gratiâ Personam so-  
„ lemniter nominent, in qua omnes, vel  
„ major & sanior pars convenerint, & ea  
„ sine ullius contradictione, dummodo  
„ idonea fuerit, & Electio sine simoniaca  
„ pravitate celebrata, ad Ecclesiæ Regi-  
„ men admittatur. Quòd si in Persona fue-  
„ rit, vel in Electionis modo peccatum,  
„ tamdiu procedant, donec secundum  
„ præscriptam formam vacanti Ecclesiæ  
„ de Persona congrua valeat provideri.  
Ex quo inferunt DD. si Electores igno-  
ranter elegerint indignum, vel contra  
formam Canonice, quòd possint transi-  
re ad aliam electionem; si verò scienter id  
fecerint, sint ipso jure pro ea vice privati  
potestate eligendi, (si tamen ex votis eo-  
rum communis Electio subsequatur, aliàs  
non, juxta c. 7. h. T. in 6.) & devolvitur vel  
ad Superiorem, si omnes peccârint; vel

ad alios pauciores, qui elegerunt dignum. Sic *c. 22. h. T.*, Electio Præpositi G. indigni, seu laborantis impedimento Canonico, esto facta à 24 Electoribus, cassatur; & Electio Præpositi A. Digni facta à 14 eligentibus approbatur; econtrà si elegerint contra formam Canonicam, non sunt privati ipso jure, sed privandi per sententiam, antequam possunt novam Electionem validam inchare & perficere; si verò Electio sit ambigua, non possunt Electores propriâ auctoritate ad aliam Electionem transire, priusquam prior auctoritate Superioris fuerit cassata.

2. *C. Scriptum 40. h. T.* Decernit Pontifex, ut in concursu Electionis cum Postulatione, si numerus postulantium non sit duplo major, postulatione repulsâ, Electio facta à minori numero, dummodo superet unam tertiam omnium suffragantium, saltem per unicum votum, confirmetur. Observatum id fuit in Electione Coloniensi anno 1688. in qua ex 24 suffragantibus novem elegerunt JOSEPHUM CLEMENTEM, tredecim postularunt GUILIELMUM EGONEM, & duo vota erant dispersa; ab INNOC. XI. autem, repulsâ postulatione, Electio de Persona ejusdem JOSEPHI fuit confirmata; & hodie dum ex stylo Curiaë est approbatum, de

quo vide Pichler *Decis.* 5. solventem argumenta in oppositum.

3. „Famofissimo Cap. *Quia propter*  
 „42. *b. T.* ait Pontifex: Quia propter di-  
 „verfas electionum formas, quas quidam  
 „invenire conantur, magna pericula im-  
 „minent Ecclesiis viduatis, ftatuimus, ut,  
 „cùm Electio fuerit celebranda, præfen-  
 „tibus omnibus, qui debent & volunt  
 „& possunt commodè interesse, affuman-  
 „tur tres de Collegio fide-digni, qui se-  
 „cretè, figillatim, ordinatè ac diligenter  
 „vota cunctorum exquirant & in scriptis  
 „redacta mox publicent, nullo appella-  
 „tionis obstaculo interposito; ut is colla-  
 „tione habitâ eligatur, in quem omnes,  
 „vel major & sanior pars Capituli con-  
 „fenserit: vel saltem eligendi potestas ali-  
 „quibus viris idoneis committatur vice  
 „omnium; aliter electio facta non valeat,  
 „nisi fortè communiter esset ab omnibus  
 „quasi per inspirationem sine vitio cele-  
 „brata. Qui verò contra præscriptas for-  
 „mas eligere tentaverint, eligendi eâ vice  
 „potestate priventur. Nemo procurato-  
 „rem in electionis negotio constituat, nisi  
 „absit eo loco, unde debet advocari, &  
 „justè impeditus venire non possit; supra  
 „quo, si opus fuerit, fidem faciat juramen-  
 „to; & tunc, si voluerit, uni committat  
 de

de Collegio vicem suam. Electiones  
 quoque clandestinas reprobamus, ita-  
 tuentes, ut, quàm citò Electio fuerit ce-  
 lebrata, solemniter publicetur.

4. Circa hoc Cap. varia observanda;  
 nempe, Electionem fieri posse triplici mo-  
 do, vel per *Scrutinium*; vel per *Compromissum*  
 in unum aut plures; vel per *quasi*  
*inspirationem*, ut cum omnes de Collegio,  
 nullo contradicente ac nullo præcedente  
 tractatu speciali in aliquem consentiunt,  
 quia huiusmodi concors consensus præ-  
 sumitur ortus ex instinctu Spiritûs S. qui  
 unitatis & concordiaë auctor est.

5. Præcipuè h. e. præscribitur forma  
 Electionis per scrutinium ordinariè usita-  
 tum, necessariò observanda in electioni-  
 bus Episcoporum & Abbatum perpetuo-  
 rum, per quorum mortem Ecclesiaë di-  
 cuntur viduataë; non item per se in electio-  
 nibus Prælatorum inferiorum, v. g. Præ-  
 positi, Decani, &c.

6. Itaque ad formam Electionis requi-  
 ritur 1.<sup>mo</sup> quòd vocandi sint omnes ha-  
 bentes vocem activam, etiam absentes  
 qui per se vel per Procuratorem commo-  
 de possunt Electioni interesse, juxta con-  
 suetudinem Ecclesiarum, ita ut si vel unus  
 vocatus non sit, agere possit de contemp-  
 & infirmare electionem, „ (quia electionem  
 , unum

1. unius contemptus plus obstat, quam  
 2. contradictio multorum, ait Pont. in c. 34.  
 (h. T.) nisi, uti dicitur c. 28. h. t. propter  
 3. bonum pacis consentiat. Econtra vo-  
 cati ad electionem, si accedere nolint, alie-  
 nos se ab illa faciunt, nec possunt electioni  
 factæ contradicere ex c. 19. Neque ii sunt  
 computandi in numero eorum, quibus  
 competit jus eligendi; secus est de con-  
 temptis, nam ut tunc electio subsistat, ne-  
 cessè est, ut in eam consenserit major pars,  
 non tantum respectu præsentium, sed  
 etiam respectu contemptorum. Hinc no-  
 tant DD. apud Leur. *in Foro Benef. p. 2.*  
 Q. 314. Si ex 30 vocalibus 10 sint contem-  
 pti, electio ipso jure irrita est, si electus  
 non habeat 16 vota præsentium.

7. 2.<sup>do</sup> Requiritur, ut de Collegio assu-  
 mantur tres scrutatores, & hoc esse de  
 substantia electionis etiam Abbatissæ sæ-  
 cularis, juxta Decisionem Rotalem *Leo-*  
*dien. Abbatissatus* 9. Martii 1594. tutior  
 opinio docet; & hinc, licet omnibus con-  
 sentientibus possint admitti extranei Cle-  
 rici ad coëligendum juxta c. 40. nequeunt  
 tamen assumi in scrutatores, nisi præviè  
 ipsis sit concessum votum activum.

8. 3.<sup>to</sup> Scrutatores debent exquirere  
 vota *secretè & sigillatim*, ut singuli Ele-  
 ctiores unus post alterum, nemine alio ex

Capitularibus audiente, vivâ voce coram ipsis proferant votum suum; (quod requiritur ad valorem actûs in Electionibus Prælatorum, per quos viduatæ Ecclesiæ providetur; quanquam hic rigor in Electionibus Abbatissarum sæcularium non veniat attendendus, ut docet Passer. apud Leuren. l. c. Q. 343. Ast juxta Trid. infra §. 5. n. 4. Electiones Regularium etiam Abbatissarum fieri debent per vota secreta voce vel scripto, ita ut si vel unicum votum consentiente majori parte Capituli palam detur, Electio sit irrita) idque *ordinatè*, ut nempe primo loco, vel saltem post exceptum votum Præfidis, scrutatores se invicem ante alios scrutentur, quod consultius est, teste Leur. l. c. Q. 363. ac *diligenter*, examinatis videlicet ac interrogatis singulis Electoribus, ob quæ merita, quove zelo hunc præ alio nominent; ac singulorum vota à scrutatoribus vel Tabellione statim scribi debent, quod est de substantia formæ.

9. 4.<sup>to</sup> Vota in scriptis redacta mox, i. e. in continenti seu nullo alio actu extraneo interposito sunt publicanda, v. g. publice enuntiando: *Tot numero vota exquisivimus*, ut ab initio constet, numerum votorum correspondere numero electorum, & neminem esse præteritum. *An etiam*

*addi debeat, quot ex ipsis in unam, & quot in aliam personam consenserint?* Variant DD. apud Reiffenst. n. 286.

10. 5.<sup>to</sup> Expressè c. *Publicato* 58. h. T. dicitur: „Publicato scrutinio variare nequeunt Electores, cum sit facienda collatio, & electio celebranda. Unde in scrutinio auriculari (in quo nomina eligentium cognoscuntur) ante publicationem variare possunt vocales, (exceptis scrutatoribus, qui aliàs pro arbitrio possent alicujus electionem perficere, vel infirmare, ut notat Engel hîc n. 35.) non possunt, si ex eo electio nominati sequi possit; secus, si inchoandum sit novum scrutinium. Dein facienda est collatio, nam c. 50. „quia collatio in communi, quæ post „publicationem scrutini fieri debet, erat „omissa, Pontifex electionem duxit irritam, „tandam, & electores pro illa vice eligendi potestate privat. Porro hæc collatio juxta c. 55. debet esse numeri ad numerum, (an v. g. quis sit nominatus à majori parte, seu dimidio saltem voto excedat medietatem, v. g. si vocales sint novem, habeat saltem quinque vota) zeli ad zelum respectu eligentium; ac meriti ad meritum quoad electos, ut dignoscatur, an pro nominato etiam stet pars sanior, quia ad electionem requiritur pars major & sanior

nior copulativè; nam c. 57. „ Cùm 14. ele-  
 „ gissent G, 17. verò R, Pontifex causâ  
 „ discussâ deprehendit, quòd major & fa-  
 „ nior pars non consenserit in R, ideòque  
 „ ejus electionem non personæ, sed potius  
 „ electionis vitio duxit irritandam. Si ta-  
 „ men, ut dicitur c. 9. in 6. h. t. pars altera  
 „ eligentium sit duplo major, contra illos  
 „ ad extenuationem zeli, meriti vel aucto-  
 „ ritatis ipsorum nihil potest opponi. Imò  
 „ in dubio major pars numerò præsumitur  
 „ etiam sanior, donec contrarium eviden-  
 „ ter probetur.

II. Denique, ut habetur c. 21. in 6. h. t.  
 est per unum pronuntianda & facienda  
 communis Electio, v.g. hoc vel simili mo-  
 do: *Ego nomine meo & eligentium mihi-  
 que consentientium in Episcopum vel Abba-  
 tem hujus Ecclesie eligo NN. & electum  
 coram vobis pronuntio in nomine Patris  
 &c.* Et hæc communis electio facienda  
 est in continenti; nam c. 46. „ Quia exa-  
 „ minato processu Pontifex invenit, post  
 „ publicationem consensuum & collatio-  
 „ nis tractatum electionem aliquamdiu  
 „ fuisse protractam, assensumque Præ-  
 „ positum, priusquam electus fuerat, requi-  
 „ situm, ideo electionem eandem (ex  
 „ ipsius duntaxat inordinato processu)  
 „ exigente justitiâ cassavit. Circa quod  
 tamen

tamen notat Pirrhing hinc n. 188. Post collationem posse quæri ab eligendo, an velit consentire electioni de se faciendæ; sed si tunc consentiat absolute electioni tanquam de se factæ, peccari contra formam; uti etiam, si tunc exploretur consensus, non per requisitionem privatam, sed publicam Capituli, ut ait Leur. Q. 383.

12. Circa Procuratorem præter hinc statuta specialiter statuitur c. 46. in 6. h. t.  
 „ Justo impedimento detentus, ne electio-  
 „ ni commodè possit interesse, potest non  
 „ solum unum (ut dicitur in C. Quia pro-  
 „ pter) sed & plures Procuratores consti-  
 „ tuere, modo cuilibet in solidum det po-  
 „ testatem, & tunc melior erit conditio  
 „ occupantis. Si unus est simpliciter con-  
 „ stitutus, & alium suo, alium Domini no-  
 „ mine in scrutinio nominet, nihil agit,  
 „ nisi de certa persona eligenda à Domino  
 „ habeat speciale mandatum. Absens quo-  
 „ que, licet nullus de Collegio velit esse  
 „ ejus Procurator, nec permittatur extra-  
 „ neum deputare, non poterit aliquatenus  
 „ per literas exprimere votum suum. No-  
 „ tat tamen Lacroix L. 4. n. 399. Capitula-  
 „ rem cum generali mandato constitutum  
 „ posse etiam mandantem eligere.

13. II. In 6. c. 2. h. t. sanxit Pontifex:  
 „ In Electionibus & Postulationibus ac

D

„ Scrut-

50  
 „Scrutiniis vota conditionalia, alterna  
 „tiva vel incerta penitus reprobantur  
 „illisque pro non adjectis habitis ex puri  
 „consensibus celebretur electio. Ratio  
 „decisionis est, quia Electio, Postulatio,  
 „quævis alia provisiō beneficiorum nume  
 „rantur inter eos actus legitimos, qui con  
 „ditionem non recipiunt, neque diem,  
 „*Actus legitimi* 50. *de R. J. in 6.* Sed absolute  
 „& simpliciter fieri debent, quia hi actus  
 „ex officio præstari debent ab iis, quibus  
 „incumbunt, ita ut Ecclesiis aut Beneficiis  
 „vacantibus certo & sine mora sit provi  
 „sum. Ita Pirrh. *b. t. n. 169.*

14. Unde si ex decem vocalibus unum  
 „eligat sub conditione de futuro contingente;  
 „v. g. *Eligo Cajum, si velit consentire*  
 „*vel illum, quem Titius eliget;* aut sub con  
 „ditione de præsentī vel præterito Electio  
 „ribus incognita, v. g. *si sit legitime natus*  
 „&c. quia licet talis conditio non suspendat  
 „actum, continet tamen incertitudinem  
 „ita ut certa electio subsequi non possit ante  
 „veritatis ignotæ indagatiōnem; alter dicitur  
 „*Eligo Titium vel Cajum;* tertius: *Eligo*  
 „*digniores,* si hi tres ante publicationem  
 „scrutiniū non variarint dando vota pure  
 „eā vice tota electio est penes alios septem  
 „pure consentientes, à quorum quatuor,  
 „quis nominatus fuerit, is censetur electus

etiam sine novo scrutinio. Nonnulli tamen docent apud Leur. Q. 361. Si decem essent vocales, quorum unus in scrutinio auriculari dedisset tale votum inutile, eâ intentione, ut reportaret quinque votis Prælaturam, talem electionem ob notam ambitionis fore nullam; licet in electionibus Regularium subsisteret, quia in iis sciri nequit, quis tale votum nullum dederit, aut schedam vacuum miserit in urnam. Verum si tunc ex puris consensibus non sequatur communis electio, tales in prioro scrutinio inutiliter votantes à novo faciundo excludi nequeunt. Ob hoc Caput in *Electionibus* 2. in 6.

15. Quæres: Si laborans impedimento Canonico supplicaverit Romæ pro indulto eligibilitatis, & dubitetur, an sit Romæ expeditum, vocales possint uti hâc formâ: *Eligo & postulo, prout melius de jure valere potest*, ita ut si tunc expeditâ Romæ gratiâ sed Capitulo non præsentatâ & ignotâ, talis obtineat unum votum ultra medieta-tem, habeat jus ad Prælaturam contra electum habentem vota pura ultra unam tertiam? Ratio affirmandi videtur esse, quia Rescripta gratiæ regulariter valent à die Datæ, consequenter tempore electio- nis fuit eligibilis, quamvis vocales id tunc ignoraverint, & electio sustinenda con-

formiter Cap. *Perpetuo Unic. de postu* ex  
*in 6.* ubi talia vota incerta non reprobatur tra  
 tur, quando dubitatur de eligibilitate ubi  
 postulabilitate subjecti. Nihilominus tur  
 probabilius videri, talem electionem lun  
 postulationem esse nullam ob Decis. cap. fon  
*Sup. de Elect. in 6.* & rationem supra n. hæ  
 & præc. datam; nam alias non posset fo per  
 mari Decretum certum electionis, si tim  
 formandum foret tale conditionatum: §.  
*Titius habeat indultum eligibilitatis, elig*  
*Titium; si non habeat, eligo Cajum cum*  
*votis,* quod videntur jura reprobare, qu pitu  
 sic Ecclesia in incerto vagaretur, cum qu etia  
 sponso publicetur. Ad rationem oppo ten  
 tam dico, regulariter Rescripta Grat ut  
 quidem valere à die Data, si nulli sint præ que  
 judiciofa; tale autem, si valeret à die D bus  
 tæ, antequam præsentetur Capitulo, for cap  
 præjudiciosum Ecclesiæ & electioni, cui „fo  
 incertitudinem certò induceret; adeoq „fo  
 non censetur esse mens Papæ, ut ante die „in  
 Præsentatæ valeat. Ad Cap. *Perpetu* „co  
*Unic. de Postul. in 6.* dici potest, ut Jur „lic  
 Juribus concordentur, talia vota tantu „no  
 admittenda in unico casu, quo sic nomi „tu  
 natus habet certum jus, vel ex vi electio & i  
 nis vel saltem postulationis, ut nullus lar  
 beat pura vota sufficientia pro electione sed  
 nam immediatè subjungitur, quòd debe voc

ex via electionis & postulationis alteru-  
 tram eligere; aliud est in casu Quæstionis,  
 ubi electo ex puris consensibus generare-  
 tur præjudicium. Neque totum Capitu-  
 lum per talem Electionem ad certam per-  
 sonam se determinare posset. Verum quia  
 hæc quæstio ex professo tractata non re-  
 peritur, supremo Tribunali Pontificio ul-  
 timatè decidenda relinquitur.

§. 2. De Electione per Compromissum.

I. COMPROMISSUM est, quando v. g. Ca-  
 pitulares in unum vel plures Clericos  
 etiam extraneos juxta Cap. 8. h. t. faculta-  
 tem eligendi conferunt, vel *limitatè* v. g.  
 ut eligant ex gremio Ecclesiæ, aut in  
 quem, exquisitis singulorum voluntati-  
 bus, major & sanior pars consenserit, ut in  
 cap. 32. approbato cap. 29. in 6. (estque  
 „ forma mixta ex scrutinio & compromis-  
 „ so; si verò sit data potestas eligendi illum,  
 „ in quem plures de Capitulo, partium  
 „ comparatione minorum consenserint,  
 „ licet majorem partem totius Capituli  
 „ non attingant, electio robur non obtinet  
 „ firmitatis ex Cap. 23. in 6.) vel *absolutè*  
 „ & *illimitatè*, quo casu etiam possunt postu-  
 „ lare aliquem extra gremium juxta c. 30.  
 „ sed ad hoc requiritur consensus omnium  
 „ vocalium, ita ut unius dissensus compro-

missum impediatur juxta R. J. 29. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Quamvis re integrâ possit à majori parte Capituli fieri revocatio Compromissi, quia sic singuli redeunt ad jus eligendi, nullique præjudicatur. Circa Compromissum specialiter statuitur h. t.

2. C. 33. in Decret. h. t. „ Cùm cujusdam Ecclesiæ Capitulum in septem Canonicos suos compromisisset, ut illum quem ex se vel aliis de gremio Ecclesiæ omnes vel major pars nominaret, reciperet in Prælatum; unus autem ex illis septem à tribus ipsorum, & alius, qui non erat de numero eorum, à tribus aliis in Prælatum fuere nominati. Consultus Pontifex respondit: Eum, qui de numero septem à tribus est nominatus, juxta Compromissi tenorem debere in Prælatum assumi, modò consentiat.

3. Unde quamvis si Compromissum in unum duntaxat sit factum, is nequeat eligere seipsum sine nota ambitionis; si tamen sit factum in plures, qui sua vota datis palam, potest à medietate electus suo consensu ad illam accedere, sicque augere numerum & fieri electus; per quod non solum accessorie & completive, proinde etiam juxta *Auream Bullam* fieri potest.

in electione Regis Romanorum, aliisque electionibus, in quibus sive de jure, sive ex privilegio aut consuetudine non servatur forma Cap. *Quia propter*, sed permittitur, ut post publicationem liceat mutare votum per accessum. Sic v. g. si ex tribus Patronis unus eligat Compatronum, hic accedendo censetur in effectu habere duo vota, & prævalebit extraneo unicum tantum votum habenti. Verum id locum non habet, ubi servatur rigor Cap. *Quia propter*, quia ante publicationem scrutini incognitus est numerus votorum, adeoque nemo scit, an per suum accessum possit complere majorem numerum suffragiorum; post publicationem autem non admittitur sine novo scrutinio votorum variatio, ut docet communior contra Panorm. teste Engel hic n. 40. docentem: Caput *Publicato* intelligi tantum de variatione in præjudicium electi, jus ex datis votis habentis. *An verò, si unus ex scrutatoribus fuisset à medietate electus, cum ante publicationem hoc sciret, possit suo voto accedere?* Dubitat Engel n. 42. Negat Reiffenst. n. 106. eò quòd juxta Cap. 46. h. t. nominatus in scrutinio, & ante communem electionem absolute consentiens, electionem ipso jure reddat nullam.

## §. 3. De Eligentibus.

1. Circa Eligentes statuitur h. t. „ I. In  
 „ Decret. c. 41. h. t. ut ultra tres menses Ca-  
 „ thedralis Ecclesia vel Regularis Prælati  
 „ non vacet; intra quos (iusto impedi-  
 „ mento cessante) si electio celebrata non  
 „ fuerit, qui eligere debuerant, eligendi  
 „ potestate careant eâ vice, ac ipsa eligendi  
 „ potestas ad proximum Superiorem de-  
 „ volvatur; is verò non differat ultra tres  
 „ menses Ecclesiam viduatam de persona  
 „ idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel al-  
 „ terius, si digna non reperiatur in illa,  
 „ Canonicè ordinare. Unde quando pro-  
 „ pter negligentiam Electorum Electio de-  
 „ volvitur ad Superiorem inferiorem Papâ  
 „ (quod ob Concordata in Germania non  
 „ accidit, exceptis certis Episcopatibus,  
 „ Archi-Episcopo Salisburgensi subjectis)  
 „ is tenetur providere Ecclesiæ de persona  
 „ idonea ex gremio illius; nam quamvis  
 „ Capitulum ipsum possit eligere aliquem  
 „ extra gremium, cum possit renunciare fa-  
 „ vori suo ut proprio; Superior autem non  
 „ potest renunciare juri alterius. Ita Wag-  
 „ nereck ad h. c.

2. „ C. 43. Consentiens Electioni suâ  
 „ per potestatis sæcularis abusum, electio-  
 „ nis commodo careat & ineligibilis fiat.

„Etc. 56. Edicto perpetuo prohibetur, ne  
 „per laicos cum Canonicis Pontificis ele-  
 „ctio præsumatur: sic præsumpta nullam  
 „obtinere firmitatem; contraria consue-  
 „tudo dici debet corruptela. Nihilominus  
 „c. 14. h. t. ait Pontifex: Factâ electione  
 „non prohibemus, quin Regis seu Prin-  
 „cipis requiratur assensus, sed propter hoc  
 „præscriptam electionis formam nolu-  
 „mus impediri. Verum talis consensus  
 tunc non præstat robur electioni, sed im-  
 pedit, ne Princeps postea possit excipere  
 contra electionem vel electum, v. g. quòd  
 fit suspectus de proditione &c. potest enim  
 consuetudine aut privilegio induci, ut, si  
 Princeps obtendat exceptiones legitimas,  
 electio sit cassanda.

3. „II. In 6. c. 26. h. t. decernitur: Si  
 „electio effectum non est sortita, quia  
 „electus non consentit, aut post consen-  
 „sum juri suo renuntiat, (aut moritur) aut  
 „propter occultum ejus vitium postea in-  
 „notescens electio irritatur; electores (qui  
 „jam fecerunt, quod spectabat ad ipsos  
 „intra juris terminum eligendo) possunt  
 „procedere ad aliam electionem, perinde  
 „ac si vacatio nova esset, dummodo nihil  
 „fraudulenter egerint in præmissis. In  
 his casibus pro matura deliberatione alte-  
 rius Prælati eligendi rursus conceditur

tempus integrum lege definitum, nempe trimestre pro Prælatura Ecclesiæ viduatæ; vel semestre pro Prælaturis aut beneficiis inferioribus per se loquendo. Unde dum Anno 1719 Philippus Mauritius à Ducibus Baviaræ eligebatur Episcopus Monasteriensis & Paderbornensis, qui Romæ erat mortuus, à die notitiæ obitus Capitularibus currebat novum trimestre, estò etiam post præstitum consensum ante confirmationem in Curia obiisset, quia tunc non vacasset per mortem hujus electi, sed antecessoris; nam prima vacatio Prælaturæ durat usque ad confirmationem alterius Prælati, juxta jura apud Reiffenst. n. 33.

4. Quinam Capitulares per diversos sparsim Canones sint privati voce activâ, ut nominatim suspensi, interdicti, excommunicati excommunicatione majori, (minor tantum privat voce passivâ, quia cum sit privatus Sacramentorum perceptione, ad ea ministranda eligi non potest; quamvis illius electio ex c. 10. l. 5. §. 27. n. 1. non sit ipso jure irrita, sed irritanda, juxta Lac. l. 4. n. 405.) & plures alii; vide apud Canonistas passim.

§. 4. *De Eligendis & Electis.*

1. I. „In Decret. h. t. c. 6. decernitur:  
„ Rom.

„ Rom. Pontifex, nisi à duabus partibus  
 „ Cardinalium electus, si major concor-  
 „ dia non intercessit, nullatenus assumitur;  
 „ & si nomen Pontificis usurpaverit, tam  
 „ ipse, quàm qui eum recipiunt, excom-  
 „ municationi subjaceant, & totius sacri  
 „ Ordinis privatione mulctentur. De Ele-  
 „ ctione Pontificis & Imperatoris vide Pir-  
 rhing h. t.

2. „ C. 7. Nullus in Episcopum eligatur,  
 „ nisi xxx. annos ætatis exegerit, & legiti-  
 „ mè natus ac vitâ & scientia sit commen-  
 „ dabilis. Postquam confirmatus fuerit, &  
 „ tempus consecrationi definitum transiê-  
 „ rit, beneficia, quæ habet, eo ipso vacant;  
 „ si nimirum obtineat pacificam & fructi-  
 „ feram Episcopatûs administrationem,  
 „ quia *non debet quis perdere primum bene-*  
 „ *ficiam, nisi plenè sit secundum consecutus,*  
 „ Cap. *Si qui Episcopi* 6. D. 92. Præterea, ut  
 „ quis possit eligi in Episcopum, debet juxta  
 „ Trid. *sess. 22. de Reform. c. 2.* in sacro Sub-  
 „ diaconatûs Ordine saltem sex mensibus  
 „ prius fuisse. (Quamvis, ut quis possit eli-  
 „ gere, sufficiat, si immediatè ante electio-  
 „ nem sacrum Ordinem suscipiat.) Electio  
 „ tamen non Subdiaconi in Episcopum non  
 „ est ipso jure irrita, sed irritanda, juxta  
 „ Leur. *in Foro Benef. p. 1. Q. 314.*

3. „ C. 12. Si electio alicujus, non propter  
 „ vitium

„vitium personæ, sed modum electionis  
 „cassatur, non impedit, quò minus is ad  
 „regimen alterius Ecclesiæ, imò etiam  
 „ejusdem possit promoveri, nisi fortè si-  
 „moniacæ pravitatis aliquid intercesserit.

4. „C. 19. Licet cautum reperiatur in  
 „Canone, ut quis ex aliena Ecclesia eliga-  
 „tur, si nullus in propria repertus fuerit  
 „idoneus; quia tamen hoc in favorem in-  
 „troducitur est Capitularium, & cuique  
 „licet renuntiare juri, quod pro se nosci-  
 „tur introducitur, potest major pars Ca-  
 „pituli electionem de persona alterius  
 „Ecclesiæ celebrare. Quamvis ipsis in-  
 „vitis juxta dicta §. *preced.* à Superiore, ad  
 „quem facta devolutio, obtrudi non possit.  
 „*Can. Nullus invitis 13. Dist. 61.* Unde ut quis  
 „eligatur de gremio, non est de necessitate,  
 „sed solum de honestate.

5. „II. In 6. c. 6. h. t. Electores electio-  
 „nem, quàm citiùs commodè poterunt,  
 „electo præsentent, ac petant consensum  
 „ipsius; quem si electus ultra mensem uti-  
 „lem à tempore præsentationis præstare  
 „distulerit, jure ex electione acquisito eo  
 „ipso sit privatus. Cæterùm quivis electus  
 „infra tres menses post consensum præsti-  
 „tum confirmationem petat, quod si justo  
 „impedimento cessante facere omiserit,  
 „electio eadem eo ipso viribus vacuetur.

„Quod

Quod in omnibus electionibus etiam ad Prælaturas inferiores, quæ confirmari debent, observandum, juxta Wagnereck hîc. Præterea C. *Cupientes* 16. h. t. in 6. relato in Concordatis Germaniæ statuit NICOL. III. „Omnes electi ad Ecclesias „Cathedrales vel Regulares, quorum „Confirmationes peti debent à Sede „Apost. infra unum mensem post consensum præstitum iter arripiant ad dictam Sedem pro confirmatione petenda; „vel si justè impediti sint, Procuratorem „sufficenter instructum cum omnibus „actis & monumentis causæ eò mittant, „sub pœna amissionis juris per electionem quæsitæ. Insuper Electores duas „personas ex Capitularibus sufficienter „instructas ad Sedem Apost. mittant, qui „sciant Papam instruere de tota causa „electionis.

Verùm hodie electi Germaniæ Episcopi vel Prælati nunquam pro confirmatione eunt Romam, sed per Agentes in Curia Rom. existentes, transmissis ipsis electionis processu & documentis de facto examine, juxta Bullam GREG. XIV. *Onus Apostolicæ*, idoneitate & cæteris rem conficiunt. Insuper Trid. *sess. 23. de Reform. c. 2.* statuit: „Episcopi confirmati, si munus „consecrationis intra tres menses non „susce-

„susceperint, ad fructuum perceptorum  
 „restitutionem teneantur; si intra totidem  
 „menses postea id facere neglexerint, Ec-  
 „clesiis ipso jure sint privati.

6. Circa hæc specialiter Nota, *per consensum electi & eligentium* quasi contrahi sponsalia inter Ecclesiam & electum, quia habet tantum jus ad rem, cui potest adhuc liberè renuntiare in manibus eligentium; ac juxta c. 5. h. t. in 6. „Si administratio-  
 „nem Dignitatis sub quocunque prætex-  
 „tu in temporalibus vel spiritualibus ge-  
 „rere, aut illi se immiscere præsumat, eo  
 „ipso jure ex electione quæsito est priva-  
 „tus. „ *Quanquam c. 44. in Decret. b. t.*  
 „dicat Pontifex: „Valde remoti videl. ultra  
 „Italiam constituti & in concordia electi  
 „dispensativè propter necessitatem Ec-  
 „clesiarum & utilitatem ante confirma-  
 „tionem in spiritualibus & temporalibus  
 „administrent, nihil tamen penitus alie-  
 „nent. Dubitat tamen Engel hîc n. 51.  
 „num hæc dispensativa Juris concessio ad-  
 „huc sit in vigore ob continuam praxin  
 „contrariam Episcoporum Germaniæ. De-  
 „inde per *Confirmationem* contrahi quasi  
 „spirituale conjugium ratum, quia per eam  
 „Electus acquirit jus in re, nec potest am-  
 „plius renuntiare sine Superioris consensu,  
 „ac consequitur plenam administrationem

in spiritualibus & temporalibus, potestatemque Jurisdictionis Episcopalis, juxta c.15. *Decret. h.t.* hinc potest ferre censuras, delinquentes punire, Beneficia conferre, dare alteri potestatem absolvendi à peccatis, estò Sacerdos non sit, &c. etiam ante captam possessionem, nisi alicubi ex recepta consuetudine prius installari debeat. Denique per *Consecrationem* fieri matrimonium quasi consummatum, quia per eam accipit characterem & potestatem Ordinis Episcopalis intollibilem. Aliud est de Abbate benedicto, qui potest eligi ad aliud Monasterium vel Episcopatum, quamvis licentiam transeundi (non dispensationem, quia in eo rigore non sunt sponsi suarum Ecclesiarum, sicut Episcopi) vel à Pontifice aut ejus Legato de latere, si sit exemptus; vel ab Episcopo petere debeat, c.36. *h.t. in 6.* & ante benedictionem saltem validè vi privilegii à jure concessi Ordines minores suis conferre potest.

7. „C.14. *h.t. in 6.* Nullus ad regimen „Parochialis Ecclesiæ assumatur, qui non „attigit 25 annum; collatio aliàs facta viribus careat. Ad hujusmodi regimen „assumptus personaliter in Parochiali „Ecclesia residere tenetur, & intra annum „se faciat ad Sacerdotium promoveri; si „non fecerit, Ecclesiâ sibi commissâ, nullâ

„etiâ

etiam monitione præmissâ, sit eo ipso  
 privatus. Verùm ut dicitur *c. 35. h. t. in 6.*  
 „ Non vacat tamen Ecclesia, nisi annus ex  
 „ toto fuerit elapsus, quo possessionem  
 „ ejus pacificam recepit, & non currit illi,  
 „ qui justo impedimento detentus; secus  
 „ si rationabilis causa deficeret, tum enim  
 „ non potest illi eâ vice iteratò conferri,  
 „ idque ne statutum debito frustretur ef-  
 „ fectu, & non rebus sed verbis lex impo-  
 „ sita videatur. Si quis Parochiam recepit  
 „ sine intentione Sacerdotium intra an-  
 „ num suscipiendi, eandem postea dimif-  
 „ surus, sed animo fructus interea ex ea  
 „ percipiendi, is, nisi voluntate mutatâ  
 „ promotus fuerit intra annum ad Sacer-  
 „ dotium, tenebitur ad restitutionem fru-  
 „ ctuum perceptorum, cum eos fraudu-  
 „ lenter perceperit. Unde notant DD. si  
 „ quis per ignorantiam ac bonâ fide obti-  
 „ neret Parochiam ante legitimam ætatem,  
 „ collationem esse nullam; ac, si ad legiti-  
 „ mam ætatem pervenerit, opus esse novâ  
 „ collatione; quia quod ab initio irritum est,  
 „ tractu temporis non convalescit.

8. Nihilominus *c. 22. in 6.* ait Pontifex:  
 „ Statutum in *c. 14. cit.* De promovendis  
 „ ad Sacerdotium intra annum ad Colle-  
 „ giatas Ecclesias, etiamsi aliâs Parochia-  
 „ les extiterint, ad assumptos ad earum  
 „ reg-

„regimen, v.g. Decanum aut Canonicum  
 „non extenditur, sed antiqua jura potius  
 „ferventur in eisdem, nempe *c. 7. Decret.*  
 „*h. t.* ubi tales non ipso facto, sed præ-  
 „missâ monitione per sententiam sunt  
 „privandi. „ Imò ut notat Pirrh. *h. c. n. 80.*  
 „si Dignitati, v.g. Decanatu vel Canonica-  
 „tui, per se non curatæ non principaliter  
 „sed accessoriè fit annexa cura animarum,  
 „tunc sufficit, quòd provifus fit in ætate re-  
 „quisita ad Dignitatem, cui annexum est  
 „beneficium Parochiale, quod tunc velut  
 „accessorium assumit naturam & conditio-  
 „nes beneficii principalis; & sufficit, quòd  
 „per Vicarium sufficientis ætatis curam  
 „animarum exerceat.

9. Quamvis Episcopi possint quandò-  
 „que dispensare in ætate requisita ad Sacer-  
 „dotium, non tamen possunt in ætate re-  
 „quisita ad beneficium curatum, esto juxta  
 „*c. 34. h. t. in 6.* „ cum obtinentibus Eccle-  
 „„sias parochiales possint dispensare, ut  
 „„usque ad septennium literarum studiis  
 „„insistentes ad Sacerdotium promoveri  
 „„non teneantur, sed ad Subdiaconatum  
 „„duntaxat infra annum, ne sicut à multis  
 „„de Christi patrimonio sublimatis factum  
 „„est, à statu recedere queant Clericali.  
 „Verum hodie post Trident. tales licentiæ  
 „Parochis concedi non solent juxta varias

Declarationes Card. apud Garziam p. 3  
c. 2. n. 84.

10. III. In Extrav. comm. c. i. sancti  
Pontifex: „Ut Episcopi & Prælati Mo-  
„nasteriorum regimina exercentes, qui  
„apud Sedem Apost. promoventur, ad  
„Confirmationis munus recipiunt, ad  
„commiffas sibi Ecclesias & Monasteria  
„absque dictæ Sedis literis hujusmodi ec-  
„cliarum promotionem & confirmationem  
„continentibus accedere vel bonorum  
„Ecclesiasticorum administrationem ac-  
„cipere non præsumant, nullique absque  
„dicta literarum ostensione eos recipiantur  
„si secus fecerint, aut aliter recipiantur  
„quidquid interea egerint, irritum habe-  
„tur; Recipientes verò sive eis obedi-  
„tes à Beneficiis sint suspensi.

Ex quo inferunt DD. apud Reiffenst.  
L. 3. T. 9. n. 7. Sedem Episcopalem aut Præ-  
laturam vacare tam diu, donec litera  
Apost. collativæ vel confirmatoriae Capitu-  
lo seu Monasterio sint præsentatæ, adeo-  
que si ante diem præsentatæ & post diem  
Datæ promotus moreretur, Sedes vacare  
non per mortem illius, sed antecessoris.

§. 5. *De Electione Regularium & Abba-  
tissarum.*

t. Circa electionem Regularium sta-  
tuatur

tuuntur sequentia: „ I. In Decret. c. 49. h. t.

„ Cum in Magistrum assumi non debeat,  
 „ qui formam discipuli non assumpsit, nec  
 „ sit præficiendus, qui subesse non novit,  
 „ mandat Pontifex, ut ad amotionem Ab-  
 „ batum, qui per professionem Monachi,  
 „ vel Regulares Canonici non fuerint, sub-  
 „ lato appellationis obstaculo procedatur.

2. II. In 6. c. 24. h. t. „ Nulli Religioso  
 „ Mendicantium Ordinum ex Electione,  
 „ Postulatione seu vocatione ad aliquam,  
 „ extra administrationem sui Ordinis,  
 „ Prælaturam in discordia de se facta jus  
 „ acquiratur, nec eorum aliquis tali pro-  
 „ visioni valet consentire, et si Superioris  
 „ sui accesserit licentia.

Additur c. 27. „ Si Religiosus electio-  
 „ ni de se ad Prælaturam extra suum Mo-  
 „ nasterium sine licentia Superioris sui  
 „ (subintellige *speciali*, cum generalis, quia  
 „ ambitionis vitio viam parat, nullius est  
 „ firmitatis ex c. 8. in Clement. h. t.) con-  
 „ senserit, consensus non tenet, & electio  
 „ eo ipso viribus vacuatur. Iidem verò  
 „ Superiores electis hujusmodi (si eligan-  
 „ tur ad Prælaturam intra suum Ordinem,  
 „ & in concordia, ut in c. 24. supra dictum  
 „ est) suis Conventibus irrequisitis con-  
 „ sentiendi & transeundi liberam dare pos-  
 „ sint facultatem. In discordia censetur

facta electio, juxta Wagnereck in c. 24. Si  
 duæ aut plures celebratæ sint, aut una tan-  
 tum, aliquibus tamen Electorum contra-  
 dicentibus. Unde censetur facta in con-  
 cordia, si ab omnibus, vel saltem à majori  
 parte Capituli facta sit, eique nullus se op-  
 ponat, ut notat Pirrh. hîc n. 297.

3. C. 28. in 6. h. t. dicitur: „ Nullus Re-  
 „ ligiosus ad Prælaturam suæ vel alterius  
 „ Religionis eligatur, nisi antè fuerit Ordini  
 „ nem Regularem expressè professus; se-  
 „ cùs actum, eo ipso fit irritum. Ad Digni-  
 „ tatem verò Episcopalem (ad quam No-  
 „ vitii eliguntur interdum) etiam non  
 „ professus, in sæcularibus vel Regularibus  
 „ Ecclesiis eligi valet. Imò c. 1. in Clement.  
 „ h. t. statuitur: Cùm rationi non con-  
 „ gruât, ut homines disparis professionis  
 „ vel habitûs in iisdem Monasteriis socien-  
 „ tur, prohibetur, ne Religiosus aliquis in  
 „ Abbatem vel Prælatum alterius Religio-  
 „ nis vel habitûs de cætero eligatur; quod  
 „ si secus actum extiterit, irritum sit & in-  
 „ ne. Nihilominus tales postulari possunt  
 „ & Pontifex dispensare potest.

4. Jure novo Tridentini *sess. 25. de Regu-  
 c. 6.* „ Circa Regulares statuitur, ut Superi-  
 „ ores eorum eligantur per vota secreta  
 „ ita ut singulorum eligentium nomina  
 „ nunquam publicentur, idque sub pœna

„ nullitatis; neque tunc requiritur collatio  
 „ zeli aut meriti, sed sufficit sola numeri  
 „ ad numerum. Quod generaliter verum  
 est de electionibus Regularium, per quas  
 Ecclesiis viduatis non censetur provideri.  
*Quenam verò sint faciendæ per scedulas  
 secretas in communem votorum urnam con-  
 jiciendas, quanam per ballottationes seu  
 globulos? Docent singulorum Ordinum  
 speciales Constitutiones.*

5. III. *Circa Electiones Abbatissarum in  
 Cap. Indemnitatibus 43. b. t. in 6.* Itatuun-  
 tur sequentia: „ 1. <sup>mò</sup> Nulla Monialis non  
 „ professæ ad eligendum cum aliis admit-  
 „ tatur. Nec Abbatissa vel Priorissa eliga-  
 „ tur, quæ xxx. annum non compleverit.  
 Juxta Trid. *sess. 25. de Regul. c. 7.* requiritur,  
 „ ut sit XL. annorum, & octo annis post  
 „ expressam professionem laudabiliter  
 „ vixerit; si his qualitatibus prædita non  
 „ reperiat, ex alio ejusdem Ordinis Mo-  
 „ nasterio eligi poterit; si etiam hoc in-  
 „ commodum videatur Præsidi electio-  
 „ nis, ex iis, quæ in eodem Monasterio an-  
 „ num xxx. excesserit, & quinque saltem  
 „ annis post professionem rectè vixerit,  
 „ eligatur. Unde ut notat Pirrh. n. 306,  
 hæc duæ conditiones, nempe ætas XL. an-  
 „ norum, & professio VIII. annorum non  
 præscribuntur à Concilio tanquam sub-

stantiales & simpliciter necessariae; imò  
Lac. L.4. n.796. censet, de facto sufficere  
xxx. annos completos.

2.<sup>do</sup> *In cit. Cap.* statuitur: „In electione,  
„quæ per formam scrutinii à duabus par-  
„tibus Conventûs fuerit celebrata, ex-  
„ceptione quacûnque non obstante, per  
„Superiorem, diligenti de personæ ido-  
„neitate examine præmissa, confirmatur,  
„& electa, si Abbâtissa est, benedicitur;  
„si autem numerus eligentium ad duas  
„partes non perveniret, Moniales cæteræ  
„(antequam ad actus divertant extra-  
„neos) per consensum possunt ad illam  
„accedere, quæ à majori parte Conventûs  
„est electa; per quem accessum, si ad duas  
„partes pervenitur, electa confirmatur  
„& benedicitur; si verò tunc non com-  
„pleantur duæ partes, super objectis al-  
„terius partis sine strepitu & figura iudicii  
„ante confirmationem inquiretur, sed  
„electa interim in spiritualibus & tempo-  
„ralibus liberè administrat; sine facultate  
„tamen, quidquam alienandi, aut Monia-  
„les recipiendi.

3.<sup>to</sup> „Si quæ à minori parte Conventûs  
„electa fuerit, (quod volumus esse irri-  
„tum) nullum jus acquirit, nec ad eam  
„aliæ possunt accedere. Cujus ratio da-  
„tur C. 29. in Decret. b. t. Quia ex post  
„facto

„facto non convalescit, quod ab initio  
„non valet.

4.<sup>to</sup> „Neque in hujusmodi Monialium  
„electionibus per formam scrutinii zeli  
„ad zelum, nec meriti ad meritum, sed so-  
„lum numeri ad numerum fiat collatio.

5.<sup>to</sup> „Supradicta non solum in Mona-  
„steriis viventibus sub aliqua de Religio-  
„nibus approbatis, sed etiam in illis, ubi  
„juxta quarundam Provinciarum con-  
„suetudinem nec propriis renuntiant, nec  
„Professionem faciunt Regularem, sed  
„vivunt, ut in sæcularibus Ecclesiis Ca-  
„nonici sæculares, (unde & ipsæ dicun-  
„tur *Canonissæ* seu *Stiffts = Fräulein*)  
„volumus per omnia observari, eo dun-  
„taxat excepto: ut non eligantur nec eli-  
„gant non professæ, cum in ipsis (quia  
„videl. non faciunt professionem) hoc lo-  
„cum sibi nequeat vendicare. Per quod  
„tamen earum statum, Ordinem seu Re-  
„gulam nolumus nec intendimus appro-  
„bare. Ita Bonif. VIII. in terminis *cit.*  
„*Cap.* Nonnulli tamen censent, in Capi-  
„tulis mixtis ex Canonicis & Canonica-  
„bus ob recentissimas geminas Decisiones  
„Rotales in una *Monaster. Abbatissatus*  
„9. Junii 1727. & 4. Februar. 1732. receden-  
„tes à duabus in eadem Causa Decisionibus  
„1725. & 1726. in contrarium datis hoc Ca-

put *Indemnitatibus* in suo rigore non esse attendendum, sed potius Consuetudinem & Statuta, eò quòd talia Capitula *Can. perniciosum* 25. *Cau.* 18. *Q.* 2. sint prohibita & abolenda decernantur, adeòque de iis non videatur casus in jure expressus; super quibus Coloniae 1734. typis Hildeniensis editus est Tractatus sub Titulo: *Demonstrationes Chronologico-Historico-Juridico-Canonice.*

Quæres: An Electio Abbatissæ in Ecclesia Canonessarum sæcularium per voto pretio temporali comparata sit simoniaca? Ratio dubitandi est, *tum* quia Præbendæ Canonessarum, juxta tradita in *Nuc. Theol. Exam.* 17. *n.* 6. non sunt materia simoniæ; *tum* quia Abbatissatus ab origine, quando Canonessæ utebantur communi refectorio, videtur tantum fuisse maternitas œconomica, quæ est quidem merè temporale. Nihilominus *ry.* affirmativè. Ratio est *r.* quia Electio talis Abbatissæ debet esse Canonica, seu fieri juxta præscriptum Canonum, confirmanda a Superiore Ecclesiastico, nempe Papa vel saltem Episcopo; in omnibus autem Electionibus Canonicè faciendis vota per pecuniam quæsitam tanquam simoniaca reprobantur. 2. Abbatissatus talis juxta *Pyrrhum, Corr. in Praxi Benef. L. I. c. 5.*

n. 145. est Dignitas principalis & electiva in Ecclesia Collegiata, quantumvis non reservata, importans jurisdictionem Ecclesiasticam in Canoneffas quâ tales & Clericos illius Ecclesiæ, ex *c. Dilecta* 12. *de major. & obed.* ad quam directè & principaliter vota tendunt, non ad aliquam præbendam temporalem, cui Dignitas illa Ecclesiastica sit accessoriè unita, (utî Juspatronatus castro, consecratio calici) quia regulariter eligitur Canoneffa jam habens præbendam, & factâ illegitimâ Electione seu non intra legitimum tempus, provifio de Abbatiffatu non devolveretur ad Superiorem Ecclesiasticum; consequenter Dignitas Abbatiffatûs videtur esse principale, cui præbenda, aliâque emolumenta cæteris Capitularibus non obvenientia accessoriè uniantur. Per quod patet ad primam Rationem dubitandi. Ad alteram dico, sublatâ mensâ communi, maternitatem œconomicam esse suppressam; & per privilegium Apost. tacitum vel expressum, esse conversam in Dignitatem Ecclesiasticam, quæ omni jure est materia simoniæ; utî Episcopatus, si principatus temporalis in eum elevaretur, & per Electionem votis Canonicorum pretio temporali comparatis acquireretur. Vide *L. 3. T. 35. n. 7.*

TITU.

## TITULUS VII.

*De Translatione Episcopi.*

„ In Decret. *h. t. c. i.* reprehenditur Pa-  
 „ triarcha, quòd Archi-Episcopum A.  
 „ confirmatum, licèt necdum consecra-  
 „ tum, in Ecclesiam T. transtulerit, episco-  
 „ pare Archi-Episcopum, imò de-archi-  
 „ episcopare præsumens. Ratio datur *c. 2.*  
 „ quia conjugium spirituale, quod est  
 „ inter Episcopum & Ecclesiam, non hu-  
 „ manâ sed Divinâ potiùs potestate dif-  
 „ solvitur; ideòque Episcoporum trans-  
 „ latio vel depositio soli Rom. Pontifici  
 „ Vicario Christi est reservata. Et hinc  
 „ *c. 3.* Episcopus Hildesemensis, qui di-  
 „ missâ suâ Ecclesiâ ad Herbipolensem  
 „ sine authoritate Rom. Pontificis transi-  
 „ vit, privatur utrâque, ut nec illis præ-  
 „ fideat, quos per superbiam sprevit; nec  
 „ illis, quos per avaritiam concupivit,  
 „ ait Pontifex. Et quia in sua pertinacia  
 „ perdurabat, mandat Pontifex *c. 4.* senten-  
 „ tiam Excommunicationis à se contra  
 „ ipsum latam per Theutonium publicari.

## TITULUS VIII.

*De authoritate & usu Pallii.*

I. PALLIUM in præsentì est principale  
 Archi-Episcoporum insigne seu or-

nementum, ex lana alba confectum, quatuor crucibus nigris aut purpureis intextum, velut Stola Sacerdotalis, quod super alia ornamenta defertur, humeros velut corona pectusque circumdans, de corpore B. Petri sumptum seu super Altare S. Petri Romæ à Papa benedictum & consecratum, indèque ab Archi-Episcopo vel ejus Procuratore acceptum, per quod ut dicitur *c. 3. h. t.*, Pontificalis officii plenitudo cum Archi-Episcopalis nominis appellatione confertur.

2. Unde ante obtentum Pallium, licet sit confirmatus, non dicitur Archi-Episcopus, sed Metropolita; & quantumvis sit consecratus Episcopus, non potest intra suam Provinciam exercere ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, & inter Missarum solemnias ac in ornamentis peraguntur, ut conficere Chrisma, consecrare Ecclesias, sacros Ordines conferre, &c. Ratio datur *c. 28. in Decret. de Elect.* „eò quòd id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archi-Episcopus facere videatur. Unde etiam non potest exercere actus jurisdictionis Archi-Episcopo proprios, ut visitare Provinciam, vel Concilium Provinciale celebrare, ex *c. 4. de Elect.*

3. Econtra potest exercere ea, quæ sine Missa & in Stola tantum ab Episcopo fieri solent,

solent, ut conferre primam Tonsuram, cœmeteria benedicere, baptizatos confirmare, &c. imò posset extra suam Provinciam, ab alio Episcopo invitatus, Pontificalia exercere & sacros Ordines conferre. Insuper potest exercere actus Jurisdictionis Episcopalis, ut censurare, committere potestatem ordinandi, vel etiam consecrandi suffraganeos, juxta *Cap. II. de Elect.* ubi dicitur: „Licitum est Metro-

„politano, etiamsi pallium non receperit,  
 „electum Suffraganeum, qui ad ejus juris-

„dictionem pertinet, consecrare; puta  
 non per se, sed per alium; quia *Jura juris-*  
*bus concordanda sunt, ex C. 29. de Elect. in 6.*

4. Cæterum Jus Pallii per se tantum competit Patriarchis & Archi-Episcopis, ex privilegio tamen etiam conceditur nonnullis Episcopis, ut Ostiensi, qui Papam consecrat; Bambergensi, qui Papa immediatè subjectus; Quinque - Ecclesiæ in Hungaria, &c. A Pallio differunt *Rationale* seu peculiare Cimelium ex auro, serico & gemmis in forma quadrangulari contextum, quod insertum collo, humeros & pectus tegit, dependentibus à tergo & pectore quatuor fasciis & limbis, cujus usum INNOC. II. anno 1133. Episcopo Paderbornensi ejusque successoribus ex singulari benignitate indulgit; ac ALEX. VII.

Diplomate ad FERDINANDUM Fürstenbergium anno 1666. confirmavit. Circa usum Pallii in Decret. h. t. specialiter decernitur.

5. „C. 1. h. t. Archi-Episcopus uti potest „Pallio infra quamlibet Ecclesiam suæ „Provinciae; si verò ipsum Sacris indutum vel tibus Ecclesiam processionaliter „vel alio modo exire contigerit, tunc Pallio uti minimè debet. Ex quo inferunt DD. eum posse illo uti in Ecclesiis etiam exemptis aut Diœcesium suorum suffraganeorum, quia sunt intra Provinciam; „nullatenus extra illam, quia consuetudo „contraria c. 5. h. t. dicitur corruptela.

6. C. 2. respondet Pontifex: „Non videtur conveniens, ut Archi-Episcopus „Pallium suum alicui commodet, cum „Pallium in personam non transeat, sed „quisquis cum eo debeat sepeliri. Imò Archi-Episcopus à sua Ecclesia ad aliam Metropolitim translatus non potest in hac posteriori uti Pallio priori, sed debet obtinere novum Pallium ad nomen & usum ejusdem Ecclesiae. *Arg. c. 4. de Postul.* Ubi Papa Archi-Episcopo translato promittit novum Pallium ad nomen & usum posterioris Ecclesiae; prius tamen secum asportat, non eo ampliùs usus, sed cum utroque Pallio sepeliendus.

7. C. 4. statuitur: „Solut Rom. Pon-  
 „tifex in Missarum solemnibus Pallio sem-  
 „per utitur & ubique, quando assumptus  
 „est in plenitudinem Ecclesiasticæ Pote-  
 „statis, quod per Pallium figuratur; alii  
 „autem eo nec semper, nec ubique, sed in  
 „Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ec-  
 „clesiasticam acceperunt, certis debent  
 „uti diebus, (illis duntaxat, qui in pri-  
 „vilegiis sunt expressi, juxta c. 7. h. t. nisi  
 „per speciale privilegium eo semper uti  
 „possint, ut Rhemensis & Colonienfis, teste  
 „Gonz. ad c. 4.) „quoniam vocati sunt in  
 „partem sollicitudinis, non in plenitudi-  
 „nem potestatis.

## TITULUS IX.

*De Renuntiatione.*

1. **D**e Quidditate & divisione Resignatio-  
 nis Beneficiorum vid. Nuc. Theol.  
*Exam.* 18. n. 3. Circa quam h. t. præcipue  
 statuuntur sequentia:

2. I. In Decret. c. 4. mandat Pontifex  
 „Ut Episcopus sub districtione Canonica  
 „ultionis prohibeat, ne Beneficiati Eccle-  
 „sias suæ Diœcesis, ad suam Ordinatio-  
 „nem pertinentes, absque assensu ipsius  
 „intrare audeant aut detinere; aut dimit-  
 „tere Episcopo inconsulto. Unde nullus  
 potest

potest Beneficium Ecclesiasticum recipere aut post collationem dimittere sine sui Superioris auctoritate. Jus tamen dat beneficiato potestatem transeundi ad religionem approbatam, petitâ prius, licet non obtentâ, licentiâ Ordinarii. Nihilominus ex Juris dispositione possunt Clerici tacitè renuntiare Beneficiis sine consensu Superioris in variis casibus, v.g. contrahendo matrimonium, committendo crimen, cui ipso facto est annexa privatio, renuntiando liti beneficiali, &c.

3. C. 10. ait Pontifex: „Hæc sunt illa,  
 „propter quæ cedendi Episcopus potest  
 „licentiam postulare. 1. *Conscientia cri-*  
 „*minis*, non cujuslibet, sed duntaxat illius,  
 „propter quod ipsius officii executio im-  
 „peditur; si enim omnes, quos arguit  
 „conscientia cujuslibet culpæ, cederent,  
 „pauci vel nulli forsitan in illo ministerio  
 „remanerent; in multis enim offendimus  
 „omnes. 2. *Debilitas corporis* ex infir-  
 „mitate vel senectute procedens, per  
 „quam impotens redditur ad exequen-  
 „dum officium. 3. *Defectus scientiæ*, si Ec-  
 „clesiam commissam regere ignorat. Ve-  
 „rum etsi desideranda sit eminent scientia  
 „in Pastore, in eo tamen est competens  
 „toleranda, quia imperfectum scientiæ,  
 „quæ inflat, supplere potest perfectio cha-  
 „ritatis,

„ritatis,

„ritatis, quæ ædificat. 4. *Malitia Plebis*,  
 „quando propter ejus duritiam proficere  
 „nequit apud ipsam. 5. *Irregularitas Per-*  
 „*sonæ*, ut si fortè sit bigamus. Non tamen  
 „propter quamlibet irregularitatem de-  
 „bet cedendi licentia indulgeri, v. g. si de  
 „legitimo matrimonio non sit natus; quia  
 „si laudabiliter suum implevit officium,  
 „cum eo potest utiliter dispensari. Si  
 „propter alias causas cessionem affectet,  
 „non est postulanti favendum, v. g. ut  
 „cedendo in quiete salutem propriam  
 „tutiùs quærat; nam faciliùs indulgetur,  
 „ut Monachus ad Præfulatum ascendat,  
 „quàm Præful ad Monachatum descen-  
 „dat.

4. „C. 13. Cùm Papa mandâisset Sub-  
 „diacono J. assignari Præbendam, qui-  
 „dam Canonici opposuerunt, illum tacite  
 „renuntiâsse Juri literarum, eò quòd de  
 „gratiæ Capituli commiserit, propter  
 „quod Judices decreverunt, ipsum non  
 „posse uti de cætero ipsarum commodo  
 „literarum. Re ad Papam delatâ, Auditor  
 „prædictam sententiam justitiâ exigente  
 „cassavit; & sententiam Auditoris Pon-  
 „tifex ratam & firmam habuit. Ratio  
 „quia committendo se gratiæ Capituli  
 „non adfuit animus deserendi Præbendam  
 „aut privandi se gratiâ Rescripti, sed potiùs

ut hoc modo Capitulum flecteret ad desistendum ab iniqua vexa.

5. „C. 14. Abbas A. æger & de vita  
 „desperans, Monachos suos ad cuiusdam  
 „æmuli sui consilium ab obedientia, in  
 „qua sibi tenebantur, absolvit; vocato  
 „Episcopo, ut Abbatiam in ejus manibus  
 „resignaret; quod tamen, usus consilio  
 „saniori, non fecit. Consultus Pontifex  
 „respondet, se non videre, ex tali facto  
 „eundem Abbatem resignasse suo regi-  
 „mini. Pariformiter c. 15. Dum Abbas  
 „immediatè Papæ subjectus, se sentiens  
 „insufficientem oneri regiminis, Abba-  
 „tiam cessit in manibus Monachorum,  
 „qui alium Canonicè elegerunt; sed quia  
 „sine licentia Papæ id facere nequivit,  
 „decernit Pontifex, tam cessionem quàm  
 „electionem prædictas esse irritas, man-  
 „dans, Abbatem ipsum loco suo restitui.

6. „II. In 6. c. i. h. t. COELESTINUS V.  
 „Bonifacii Prædecessor deliberatione ha-  
 „bitâ cum Cardinalibus (de quorum nu-  
 „mero tum se fuisse BONIFACIUS testatur)  
 „auctoritate Apost. statuit & decrevit,  
 „Rom. Pontificem posse liberè resignare.  
 „Quod statutum inter alias Constitutio-  
 „nes ad perpetuam rei memoriam de  
 „Fratrum consilio duxit redigendum.  
 Unde Regula illa, quòd renuntiatio debeat

fieri in manibus Superioris, solum habet locum in iis, qui Superiorem habent; non in Principe supremo. Sicut ergo Papa confirmatur sine homine superiore, ita & sine eo Papatui renuntiat.

7. De Resignatione Beneficiorum doctissime scripsit Flaminus Parisius, ex quo Canonistæ ad hunc Tit. communiter tradunt sequentia: 1.<sup>mo</sup> Resignationem Beneficii debere fieri purè absque omni pacto & liberè; non vi, gravi metu aut dolo extortam; hinc absque simonia nequit fieri resignatio in favorem, aliter quàm coram Papa, qui splendore Majestatis suæ omnem simoniæ humanæ labem abstergit. Verùm si absit omni pactio, & resignans tantum dicat coram Episcopo: *Resigno beneficium non aliter quàm ut conferatur Titio*, ita ut ponatur in arbitrio Episcopi, vel illud conferentem DD. apud Leur. *in Foro Benef. Quest. 727.* non esse simoniacum, esse à Pio V. sit graviter prohibitum apud Reiffenst. *h. t. n. 110.* Imò Engel *h. t. n. 111.* docet, Episcopum, uti non potest acceptare talem resignationem citra simoniam cum promissione conferendi Titio beneficium, ita nec posse eam acceptare, & rejectâ tali conditione, vel

turpi, beneficium alteri quàm Titio conferre.

2.<sup>dò</sup> Ad resignationem in favorem requiri, ut resignans habeat jus in beneficio per legitimam collationem; si enim solum habeat jus ad rem, aut eo fit privatus, v. g. per affecutionem alterius incompatibilis (licet tunc non possit prius simpliciter dimittere sine consensu Superioris saltem tacito, juxta Lac. n. 1017.) ob crimen, cui ipso jure annexa est privatio &c. resignatio est nulla; uti etiam, si quis resignet in favorem beneficium litigiosum, non factâ mentione litis, estò non requiratur per extensum exprimi statum litis, quia clausula consueta in literis Apost. *Et super eos inter aliquos lis, cujus statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa*, præservat gratiam à subreptione, licet vi illius nequeat capi possessio absque vitio attentatorum. Corradus *de Praxi Benef. L. 5. c. 1. n. 75.*

3.<sup>tiò</sup> Trid. *Sess. 21. de Ref. c. 2.* statuit, „non posse voluntariè resignari beneficium, super quo quis ad S. Ordines promotus est, nequidem apud Papam, nisi hæc duo narrentur: Et quòd eo titulo sit ordinatus, & quòd aliunde habeat, quo vivat; aliter facta resignatio nulla sit. Dixi, voluntariè, quia hoc non pro-

cedit in Beneficiorum privationibus & resignationibus a jure inductis.

4.<sup>to</sup> Exprimenda esse omnia beneficia, quantumvis modica & patrimonialia, quæ obtinet resignatarius, juxta dicta supra T. 3. n. 3.

5.<sup>to</sup> Beneficia electiva & Patronatus laicalis, etsi possint dimitti simpliciter non posse tamen resignari in favorem absque consensu eligentium vel Patronorum; verum talis resignatio non foret irrita, sed irritanda ad instantiam illorum.

6.<sup>to</sup> Exprimendas esse qualitates beneficii, an sit Dignitas; simplex vel curatum. Imò in resignatione conditionali beneficii curati, aut requirentis residentiam juxta stylum Curiae requiritur, ut resignans ex primat, se possedisse saltem per tres annos aliàs resignatio Romæ non solet admitti saltem cum reservatione pensionis, Com. l. c. n. 11.

7.<sup>mo</sup> Quamvis absolutè in resignatione apud Papam possit fieri renunciatio reservationis omnibus fructibus, ita ut ad resignatarium solum jus & titulus beneficii transferatur; hodie tamen non solere reservari ultra medietatem fructuum. Verum dum in resignatione Canonatuum Germaniæ juxta stylum Curiae solum exprimitur annuus valor 24 Ducatorum auri de Ca-

mera, posse tamen in ea reservari pensionem longè majoris valoris, v. g. 200 Ducatorum, si à parte rei fructus Canonica-  
tus accedant ad 400. Ita Leux. Q. 427.

8.ºo Requiritur, ut resignans post præstitum magnum consensum supervivat 20 diebus, juxta Reg. 19. Cancell. *de viginti.*

9.ºo Per resignationem ob vitium sub-  
vel obreptionis, aut ob mortem resignan-  
tis intra 20 dies invalidam non abdicari  
jus seu titulum beneficii à resignante, (nisi  
scienter resignarit invalidè, teste Reif-  
fenst. *b. t. n. 141.*) adeoque si ante sanatorias  
aut intra 20 dies moriatur, beneficium sic  
resignatum vacare per obitum, aut saltem  
habere omnes effectus vacationis per obi-  
tum, ut tunc nullo modo censeatur af-  
fectum per appositionem manûs Papæ,  
quod nuper in una Hildesienti per tres  
sententias conformes à Rota decisum.

10.ºo Factâ resignatione liberâ coram  
Ordinario, licet juxta Constit. Pii V. Epi-  
scopus aut Collatores non audeant de be-  
nificiis sic resignatis providere suis aut  
dimittentium consanguineis, affinibus vel  
familiaribus, posse tamen Episcopum ea  
conferre consanguineo, affini vel fami-  
liari sui Vicarii Generalis; ac Turnarium  
suo consanguineo vel familiari, quia no-  
mine Capituli confert, Capitulum autem

non habet consanguineos &c. Ita Lac.  
n. 1012.

8. Quæres I. Quomodo & intra quod  
tempus publicanda resignatio? R. GREG.  
XIII. Bullâ: *Humano vix iudicio*, datâ  
anno 1583. statuit: „Ut omnes resigna-  
„tiones de quibuscumque beneficiis in  
„manibus Rom. Pontificis factæ publicari  
„debeant in Cathedrali & beneficii Ec-  
„clesia, dum frequens populus ad Missa-  
„rum solemniam convenerit, infra sex men-  
„ses, si beneficium intra montes v. g. Ita-  
„liam fuerit; ultra verò v. g. in Germania  
„intra novem à data concessionis gratiæ  
(id est, à die, quo supplicatio signata à Pa-  
pa, & à Datario recognita, etsi literæ non  
sint expeditæ) „non autem à die præstiti-  
„super ea consensûs numerandos, ipsæ  
„que literæ Apost. earumve transumptum  
„authenticum palam exhibeatur, & in-  
„telligibili voce resignatio seu cessio hu-  
„iusmodi ac beneficii qualitas & invocatio  
„tio, nominæque & cognomina resignan-  
„tis ac resignatarii pronuntientur, ita ut  
„hæc omnia possint ad notitiam præsen-  
„tium verisimiliter pervenire, scripto quæ-  
„de his omnibus exemplo collato valvæ  
„dictarum Ecclesiarum affixum relin-  
„quatur. Modus & forma hîc tradita semper  
„per & ubique debet observari, nec alia

„vel æquipollens ullo modo admitti.  
 „Quòd si quidquam prædictorum (seclu-  
 „so iusto impedimento) omiffum fuerit,  
 „dictis terminis elapsis, gratiæ resigna-  
 „torum beneficiorum, sive de pacificis,  
 „sive de litigiosis, irritæ sint & inanes,  
 „& Resignatarii inhabiles & incapaces  
 „sint hujusmodi beneficia sic resignata  
 „quandocùnque obtinendi; nec resignan-  
 „tibus, si postea in sua possessione rema-  
 „neant, possessio annalis, triennalis aut  
 „diuturnior ullo tempore suffragetur, sed  
 „ipsa beneficia ex tunc à Sede Apost. dun-  
 „taxat impetrari valeant ac concedi. Hanc  
 Constitutionem quoad faciendam publi-  
 cationem resignationis factæ coram Papa  
 esse ubique etiam in Germania usu re-  
 ceptam docet quotidiana praxis.

9. Nihilominus docent DD. apud Leur.  
 Q. 788. per Signaturam justitiæ solere  
 concedi restitutionem in integrum ad-  
 versus lapsum temporis istorum men-  
 sium, modò medio tempore à Papa col-  
 latio alteri facta non sit, quia Pontifex in  
 concessione gratiæ semper adjicit tacitè  
 ve expressè clausulam præservativam Ju-  
 ris Tertii. Imò de stylo, etiam absque legi-  
 tima causa, Papa tempus datum ad publi-  
 candum sæpè prorogat. Hinc Lac. n. 1031,  
 notat, si quis apud Papam resignet in fa-

vorem alicujus, optétque justis ex causis ad tempus retinere possessionem beneficii, hanc esse praxin, ut curet resignationem subsignari & registrari; tum elapsis 20 diebus expectet ad sex menses, (infra quos per se ex Constit. CLEM. VIII. apud Leur. *Quest.* 585. debent expediri Litera Apost. sub pœna nullitatis gratiæ à die supplicationis signatæ & registratæ) nec curet expediri Bullas, sed petat prorogationem aut novum Datum; evoluto hoc tempore expediantur literæ, quæ detineantur ad sex vel novem menses, intra quos non fiat publicatio, sed petatur prorogatio ad alios novem menses; postmodum ad alios duos; denique ad alios septem, nec ultra datur prorogatio.

10. Prætereà cit. Bullâ subjungit Pontifex: „De Beneficiis, quæ deinceps in manibus Ordinariorum extra Rom. Curiam resignari, etiam ex causa permutationis, contigerit, ipsi intra mensem negotium admissionis vel rejectionis resignationis hujusmodi; & (si per eos facienda erit) provisionis resignati Beneficii juxta Canonicas sanctiones absolvant; & qui sic provisus fuerit, intra tres menses, à die sibi factæ provisionis illam publicet, & possessionem beneficii capiat modo & formâ suprascriptis, alio

„ qua

„ quin illis elapsis nulla sit ejus provisio,  
 „ & beneficium vacare censeatur eo ipso.  
 „ Ordinarii, qui hæc, uti eis præscribun-  
 „ tur, non perfecerint, eo casu potestate  
 „ disponendi de ipsis beneficiis sint eâ vice  
 „ privati, eorûmque dispositio eo ipso ad  
 „ Sedem Apost. devoluta existat, à qua  
 „ duntaxat aliis idoneis concedantur mo-  
 „ do & formâ prædictis.

ii. Verùm quoad publicationem re-  
 signationis aut permutationis coram Or-  
 dinariis factæ non esse cit. Constitutionem  
 in Germania usu receptam, ait Pirrh. *b. t.*  
*n. 109.* Item in ea tantum præcipi, ut nego-  
 tium admittendæ vel rejiciendæ resigna-  
 tionis intra mensem absolvatur; provi-  
 sionem autem juxta Canones intra qua-  
 tuor vel sex menses à die acceptatæ re-  
 signationis esse faciendam, censent DD.  
 apud Lac. *n. 1030.*

12. Quæres 2. Quinam sint effectus re-  
 nuntiationis validæ? R. Si fuerit pura  
 & simplex à Superiore admissa, resignans  
 statim amittit omne jus in beneficio, nec  
 illud rursus vi prioris tituli potest adire,  
 aut fructus deinceps obvenientes amplius  
 justè percipere, qui per se successorì reser-  
 vantur. Si verò facta sit in favorem, quam-  
 vis tunc resignans juxta Leur. *Q. 243.* pos-  
 sit incumbere possessioni, & omnia ad be-

beneficium resignatum pertinentia exercere, (donec resignatarius post publicatam resignationem capiat possessionem) v. g. eligere, conferre beneficia &c. si jus illud beneficio resignato sit annexum, tamen fructus obvientes à die concessæ & à resignatario acceptatæ gratiæ per se spectant ad resignatarium, etiam ante expeditas literas Apost. quia ab eo momento resignans amittit jus, & titulum beneficii, ut etiam ad illud redire non possit, esto postea Papa literas expedierit in forma *Dignum*, & his necdum justificatis & executis contingeret resignatarium mori, ut docet Leur. Q. 276.

13. *An verò fructus pendentes beneficii à solo non separati, v. g. segetes, glandes, poma &c. spectent ex integro ad successorem, an prorata temporis, uti fructus civiles, (quales sunt provenientes ex censu, locagio &c.) sint dividendi inter Resignantem & Resignatarium?* Attendenda est consuetudo; quanquam spectato jure communi probabilius sit, eos spectare ad resignatarium vel successorem in beneficio, quia fructus naturales cedunt solo. Vide Lac. n. 950.

14. Verùm ut notat Reiffenst. *h. t. n. 162* quando beneficiatus resignat aut moritur (si tunc hæredes ex testamento vel ab in-

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM. 91  
testato succedant) isque agros beneficii  
jam aravit, occavit, aut consevit, licet  
fructus nascituri solo cedant, sicque suc-  
cessori debeantur, tamen feminis ac im-  
pensarum factarum pretium à resignante  
aut hæredibus defuncti (quia quoad hoc  
mors naturalis & civilis merito æquipa-  
rantur) repeti potest à successore ac solvi  
debet.

## TITULUS X.

### *De supplenda negligentia Prælatorum.*

1. I. In Decret. h. t. c. 1. sancit Pontifex:  
„ Si Episcopus tertio cum humilita-  
te requisitus Abbates benedicere renue-  
rit, eisdem Abbatibus liceat proprios  
Monachos benedicere, & alia, quæ ad  
officium hujusmodi pertinent, exercere.  
Adeoque tunc à Jure negligentia Episcopi  
injuste negantis benedictionem suppletur,  
& Abbates pro benedictis habentur, pos-  
suntque licite suis Ordines minores con-  
ferre.

2. C. 2. decernitur: „ Nisi infra tempus  
in Lateran. Concilio constitutum ad va-  
cantes Ecclesias personæ idoneæ præ-  
sententur, ex tunc liceat Episcopo (seu  
Superiori, ad quem spectat collatio vel  
confirmatio) appell. rem. in eisdem ordi-  
nare

„nare Rectores, ita tamen, quòd ex hoc  
 „nullum patronis imposterum præjudi-  
 „cium generetur. Unde si intra trimestre  
 Ecclesiæ viduatæ, aut beneficio à Patrono  
 laico infra quadrimestre, aut ab Ecclesia-  
 stico infra semestre (non à vacatione, sed  
 à notitia computandum, ut dicitur *c. 3. b. t.*)  
 de Rectore non provideatur, jus provi-  
 dendum est devolutum ad Superiorem; sine  
 cuius auctoritate, si quid fiat ex tunc circa  
 provisionem beneficii, decernitur irritum  
 & inane. Quia tamen in cit. *Capite* dicitur  
*Ex tunc liceat*, quod favorem & licentiam  
 imponit, non necessitatem, censent DD.  
 posse Collatores tempus Patronis à Jure  
 præfixum prorogare, aut post elapsum ter-  
 minum præsentatos, cedendo favori suo,  
 instituere, aut post eum institutos de pa-  
 tientia permittere, ut beneficia pacifice  
 possideant, juxta *c. 4. b. t.* quia talis patien-  
 tia declarata tunc habet vim novæ colla-  
 tionis, & prior ipso jure fuit invalida.

3. II. In *6. h. t. c. 3.* statuitur: „ Si Episcopus  
 „à Paganis aut hostibus capiatur, non An-  
 „chi-Episcopus, sed Capitulum, ac si Sederet  
 „per mortem vacaret, in spiritualibus &  
 „temporalibus ministrare debebit, donec  
 „eum libertate restitui, vel per Sederet  
 „Apost. aliud contigerit ordinari. Idem  
 dicendum, si Episcopus sit amens, aut ven-

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆBATORUM. 93  
setur in locis adeò remotis, v. g. ultra ma-  
re, ut censeatur Ecclesia quasi vacans;  
quia tunc Capitulum succedit in juris-  
dictionem ordinariam Episcopi, potest-  
que constituere Vicarium vel Admini-  
stratorem Generalem in temporalibus  
vel spiritualibus. Econtra si Episcopus sit  
ita absens, ut possit adhuc per literas Ec-  
clesiam suam administrare, & Vicarius  
illius moriatur, Capitulum non supplet  
negligentiam Episcopi. Ita Pirrh. *b. t. n. 15.*  
*Leur. in Vic. Episc. Q. 25.*

4. C. 4. „In Ecclesia Cathedrali legi-  
„timam habens administrationem spiri-  
„tualium & temporalium, beneficia ta-  
„men ad collationem solius Episcopi per-  
„tinentia conferre non potest, si ab alio  
„quàm Rom. Pontifice fuerit deputatus;  
de hoc enim *c. 42. de Elect. in 6.* statuitur:  
„Cui administratio Cathedralis Ecclesiæ  
„plena & libera in spiritualibus & tem-  
„poralibus à Sede Apost. (cui soli hoc  
„competit) est commissa, potest (aliena-  
„tione bonorum immobilium duntaxat  
„exceptâ) omnia, quæ sunt Jurisdictio-  
„nis Episcopalis, quæque potest electus  
„confirmatus exequi, liberè exercere.



TITU-

## TITULUS XI.

*De Temporibus Ordinationum, &  
Qualitate Ordinandorum.*

Contenta hoc Tit. vid. in Nuc. Theol.  
*Exam. 27. n. 7.*

## TITULUS XII.

*De Scrutinio in Ordine faciendo.*

**P**ER SCRUTINIUM intelligitur examen de  
scientia & qualitatibus Ordinando-  
rum, tum ante Ordinationem, tum in ipsa  
Ordinatione; de quo *c. un. h. t.* dicitur.  
„ Quando Episcopus ordinans quærit, an  
„ sciant ordinandum esse dignum, assistens  
„ respondet: Quantum humana fragilitas  
„ nôsse finit & scio, testificor illum esse  
„ dignum, per quod non peccat, dummo-  
„ do contra conscientiam non loquatur.  
„ Addit Papa, interrogationem hujusmodi  
„ non in consecratione Episcopi, sed in or-  
„ dinatione Diaconi vel Presbyteri fa-  
„ ciendam.

## TITULUS XIII.

*De Ordinatis ab Episcopo, qui renun-  
tiavit Episcopatu, vel ab ex-  
communicato.*

**C.** i. In Decret. h. t. rescribit Pontifex  
„ Epi-

DE ORDIN. AB EPISC. QUI RENUNT. EPISC. &c. 95

„Episcopus vel tantum renuntiat loco, vel  
„loco simul & Dignitati? Si loco tantum,  
„Ordines, sicut antea, rogatus ab Episco-  
„po aliquo poterit conferre; si loco & Di-  
„gnitati simul, minores licite & valide ro-  
„gatus confert, quia etiam quandoque  
„à non Episcopis conferuntur; secus est  
„de Majoribus, hos enim, qui scienter  
„à tali receperit, ab eorum executione  
„suspenditur; si autem ex ignorantia, nisi  
„crassa & supina fuerit, (idem est, si ab ex-  
„communicato eos receperit, juxta c. 2.  
„h.t.) Episcopus potest dispensare. Huic  
„Decretali occasionem dedit BRUNO III. qui  
„dimissâ Ecclesiâ Colonienfi in Cœnobio  
„Veteris Montis professus est, teste Gonz.  
„per Professionem autem non solum quis  
„renuntiat loco, dimittendo Diœcesin; sed  
„etiam Dignitati seu nomini Episcopali,  
„sicque privatur facultate licite conferendi  
„sacros Ordines, etiam obtentâ ab alio,  
„quàm à Papa, licentiâ.

#### TITULUS XIV.

*De Ætate, Qualitate & Ordine  
Præficiendorum.*

De his multa aliter statuit Trid. quàm  
per antiquos Canones erat disposi-  
tum; ac traduntur à Theologis & Casistis  
in

in materia de Sacramento Ordinis, de quibus in Nucl. Theol. *Exam.* 27. n.7.

## TITULUS XV.

*De Sacra Unctione.*

Cap. un. h. t. reddit Pontifex singularem rationem de variis Unctionibus in Ecclesia consuetis. 1. „Sacro Chrismate „unguntur Episcopi in capite, quia re- „præsentant personam Capitis Ecclesie „seu Christi; & in manibus, ut ostendatur, „eos accipere potestatem benedicendi & „consecrandi. 2. Presbyteri in manibus „simplici oleo benedicto seu Catechumenorum, quæ tamen non pertinet ad Sacramenti substantiam, uti nec unctio Episcoporum; nam si omissa fuerit, ex præcepto tantum suppleri debet, ut dicitur *b. c.* 3. Unguntur infirmi, de quo in Nucl. Theol. *Exam.* 27. n.1. 4. Reges inunguntur oleo Catechumenorum in brachio sive humero vel armo, quia legitur: Factus est principatus super humerum ejus. 5. Baptizandi inunguntur bis oleo benedicto ante Baptismum, nempe in pectore & inter scapulas; & semel chrismate in vertice statim post Baptismum. 6. Inunctio per Chrisma fit in Sacramento Confirmationis, de qua in

„Nucl. Theol. *Exam.* 22. n. 6. 7. Ecclesia,  
 „cùm dedicatur, ungitur Chrismate; &  
 „Altare ungitur primum oleo, dein Chri-  
 „mate; Calix verò ungitur Chrismate  
 „tantum.

## TITULUS XVI.

### *De Sacramentis non iterandis.*

De his vide Nuc. Theol. *Exam.* 21. n. 2.  
 Si in administratione Sacramentorum  
 initerabilium ommissum sit aliquid substan-  
 tiale, simpliciter confertur, quod tunc non  
 iteratur, quia nunquam validè factum  
 fuit; si verò in ea ommissum sit aliquod acci-  
 dentale, v. g. Exorcismi, inunctiones &c.  
 in Baptismo; „ loco Chriftatis sit adhibi-  
 „ tum oleum in Confirmatione; impositio  
 „ manûs in Diaconatu, &c. in talibus non  
 „ est aliquid iterandum, sed cautè supplē-  
 „ dum, quod incautè fuerat prætermis-  
 „ sit Pontifex c. i. & 3. h. t. De quo lege Gon-  
 „ zal. h. t. & Nucl. Theol. *Exam.* 22. n. 6.

## TITULUS XVII.

### *De Filiis Presbyterorum ordinandis vel non.*

i. l. In Decret. h. t. c. i. deciditur: „ Filii  
 „ Presbyterorum & cæteri ex forni-  
 „ catione

G

„ catione

„ catione nati ad sacros Ordines non pro  
 „ moveantur, nisi aut Monachi fiant, aut  
 „ in Congregatione Canonica regulariter  
 „ viventes; Prælationes verò nullatenus  
 „ babeant. Verùm non per habitûs susce  
 „ ptionem, sed per solam professionem, per  
 „ quam quis fit verus religiosus, tollitur  
 „ irregularitas ex defectu natalium.

2. C. 2. 3. 4. & cæteris h. t. statuitur: „ Ne  
 „ filii illegitimi in Ecclesiis paternis me  
 „ nistrare sinantur, (tales etiam juxta c. 14.  
 „ censentur, qui in Sacerdotio geniti de uxore  
 „ re legitima, ut si vir cum consensu uxoris  
 „ sacros Ordines suscipit, & postea eam  
 „ cognoscens prolem suscitât ex usu sacri  
 „ lego) quæ innovans Trid. *sess. 25. de Re  
 „ c. 15.* decernit: „ Ut paternæ incontinentiæ  
 „ memoria à locis Deo consecratis, quibus  
 „ maximè puritas sanctitasque decet, lon  
 „ gissimè arceatur, illegitimi citra dispensa  
 „ tionem Papæ nec mediatè nec imme  
 „ diatè beneficium paternum aut etiam  
 „ dissimile in tali Ecclesia obtinere possunt  
 „ suat.

3. Nihilominus c. 12. deciditur: „ Fili  
 „ Sacerdotum, si ex licito matrimonio sunt  
 „ procreati, licitè ad sacros Ordines pro  
 „ moventur, & in eisdem Ecclesiis, in quibus  
 „ bus præfunt vel præfuerunt genitores  
 „ eorum, beneficium obtinere possunt.

„ non quidem paternum immediatè; quia,  
 „ ut dicitur *c. 10.* sacris Canonibus prohibi-  
 „ tum est, ne qui hæreditario jure Eccle-  
 „ siastica beneficia possidere præsumant,  
 „ hinc *c. 11.* jubet Pontifex, filios Presbyte-  
 „ rorum, siue geniti sint in Sacerdotio, siue  
 „ non, si teneant Ecclesias, in quibus pa-  
 „ tres eorum nullâ personâ mediâ mini-  
 „ strârunt, amoveri. Unde tales possunt  
 „ obtinere distinctum, vel paternum me-  
 „ diatè, seu ut dicitur *c. 7.* „ Si patri defuncto  
 „ media inteceffit persona, cui prædictum  
 „ collatum est beneficium, quia tunc non  
 „ censetur hæreditaria in Ecclesia succes-  
 „ sio. Refert tamen Reiffenst. *h. t. n. 39.* à S.  
 „ Congregatione esse decisum, patrem pos-  
 „ se immediatè consequi beneficium filii sui.

4. II. In 6. h. t. c. i. sancit Pontifex: „ Potest  
 „ Episcopus super defectu natalium di-  
 „ spensare ad Ordines minores & bene-  
 „ ficium non curatum siue simplex, dum-  
 „ modo sit tale, super quo per ipsum Epi-  
 „ scopum aliàs possit dispensari. (Talia  
 „ non sunt Dignitates etiam sine cura, & Ca-  
 „ nonicatus Cathedralis, non quidem spe-  
 „ ctato Jure communi, sed Stylo Curia, ait  
 „ Pyrrh. hîc *n. 16.*) „ Ad Ordines majores vel  
 „ Beneficia curata sine dispensatione Sedis  
 „ Apostolicæ illegitimus promoveri non  
 „ potest; cum quo verò per Sedem ean-

„dem taliter fuerit dispensatum, nequit  
 „prætextu dispensationis hujusmodi  
 „(quam exorbitantem à jure veluti odio  
 „sam oportet restringi) nisi unicum be-  
 „neficium obtinere, unde c. 2. dicitur: S  
 „illegitimus, impetratâ dispensatione ad  
 „beneficium etiam curatum, postea di-  
 „spensationem aliam tacito hoc defectu  
 „à Papa obtineat, ut duo aut plura bene-  
 „ficia possit recipere & retinere, talis di-  
 „spensatio, veluti per subreptionem ob-  
 „tenta, nullius penitus est momenti.

## TITULUS XVIII.

*De Servis non ordinandis & eorum  
 manumissione.*

**I**n Decretalibus *h. t. c. 1.* dicitur: „SERV  
 „Clericus fieri non permittitur, nisi ante  
 „Clericatum ingenuitatis dignitate po-  
 „tatur. Et c. 2. Si servus fraude ad gradu  
 „Ecclesiasticos pervenerit, deponatur  
 „& Dominus eum recipiat; si tamen liber-  
 „tatem ei dare voluerit, in gradu suo pe-  
 „maneat. Verum notant DD. *h. t.* Si ser-  
 „vus vel originarius citra consensum Do-  
 „mini sacros Ordines susceperit, debet  
 „vel pretio redimere, vel alium servum de-  
 „re; si Sacerdos factus, nequit revocari  
 „servitutem, sed amittit peculium suum

DE OBLIG. AD RATIOCIN. ORDIN. VEL NON. 101  
quod si non habeat, tunc in spiritualibus  
Officiis Domino servire tenetur. Attamen  
c. 8. deciditur: „ Si pater servus fuerit, ma-  
„ ter verò libera, filius in Presbyterum  
„ promoveri potest, quia debet imitari  
„ conditionem matris, nam *partus sequi-*  
„ *tur ventrem.* Vide Nuc. Theol. Exam. 33.  
n. 4. §. 4. Hinc natus ex libero ventre,  
liber est.

## TITULUS XIX.

### *De Obligatis ad Ratiocinia Ordina-* *mandis vel non.*

Cun. h. t. statuit Pontifex, „ Procura-  
„ tores, Actores, Executores, sive Tu-  
„ tores pupillorum, si post deposita onera  
„ & reddita ratiocinia actus vitæ ipsorum  
„ fuerint probati, possunt ordinari, ne, si  
„ ante libertatem negotiorum vel officio-  
„ rum fuerint ordinati, Ecclesia infame-  
„ tur; putà, si id fiat in fraudem credito-  
„ rum, ut in foro civili tales convenire non  
possint. Verùm talis nec esset irregularis,  
nec suspensus ab exercitio Ordinum, sed  
ab Episcopo cogendus, ut satisfaciat.



G 3

TITU.

TITULUS XX.

*De corpore vitiatis ordinandis vel non.*

Quando vitium corporis inducat irregularitatem? Dicitur est in Nuc. Theol. Exam. 33. n. 4. §. 2.

TITULUS XXI.

*De Bigamis non ordinandis.*

De triplici BIGAMIA inducente irregularitatem vide Nuc. Theol. Exam. 33. n. 4. §. 5. specialiter *h. t.* statuitur *c. 4. & 7.* „Cum Clerici in majoribus constituti, quantum in ipsis fuit, ducunt viduam aut plures mulieres, tanquam cum bigamis non licet dispensare, (etsi in veritate bigam non existant, eum inter ipsos non sit vinculum maritale contractum) non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto.

Ex quo inferunt DD. si contraxerint cum virgine & consummaverint, modo poenitentiam egerint, Episcopum posse dispensare.

TITU

## TITULUS XXII.

*De Clericis peregrinis.*

”C. 1. & 2. h. t. prohibetur, ne Episcopi  
 ”C. Clericos peregrinos seu incognitos  
 ”ex remotis regionibus venientes ad Di-  
 ”vina celebranda & Sacramenta admini-  
 ”stranda admittant, etiam si offerant jura-  
 ”mentum, quòd in tali Ordine sint consti-  
 ”tuti, nisi de ipsorum Ordinatione Cano-  
 ”nica per idonea constiterit argumenta,  
 ”seu per authenticas literas commendati-  
 ”tias suorum Ordinariorum, ut decernit  
 Trid. sess. 23. de Ref. c. 16. Unde ex declara-  
 tione S. Congreg. Abbas hujusmodi literas  
 concedere non potest, ut notat Pirrh. hic  
 n. 3.

TITULUS XXIII. XXIV.  
XXV. XXVI. & XXVII.*De Officio Archi-Diaconi, Archi-Pres-  
byteri, Primicerii, Sacristæ  
& Custodis.*

I. ARCHIDIACONUS c. 1. h. t. dicitur *Vica-  
rius Episcopi*, nempe natus seu à ju-  
re datus & perpetuus, habens jurisdic-  
tionem ordinariam, inferiorem tamen &  
subordinatam Tribunali Episcopi; unde

104 TIT. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. & XXVII.  
ab eo ad Episcopum appellari potest. C. 7.  
„ appellatur *Oculus Episcopi*, ut loco Epi-  
„ scopi per Episcopatum prospiciens, quæ  
„ corrigenda viderit, corrigat, nisi adeo  
„ ardua fuerint negotia, quod absque Ma-  
„ joris præsentia nequeant terminari. Sic  
„ C. 4. Nemini potest curam animarum  
„ committere. C. 5. Non licet ipsi in ali-  
„ quos sententiam censuræ promulgare  
„ C. 8. Nequit concedere dimissorias pro  
„ movendis ad Ordines. Juxta Trid. *sess. 24*  
„ *de Ref. c. 20.* Causas matrimoniales & cri-  
„ minales debet relinquere examini Epi-  
„ scopi, &c. Verum quæ jure communi  
circa Archi-Diaconum statuta sunt, eo-  
rum varia per consuetudinem sunt abro-  
gata, ut hodie Dignitas & Jurisdictio Ar-  
chi-Diaconi à consuetudine & statutis  
particularibus singularum Ecclesiarum  
desumenda sit. Leur. in *Vic. Episc.* scripsit  
specialem Tractatum de Archi-Diacono  
qui utiliter ab Archi-Diaconis legendus  
Item R. P. Dript Speculum Archi-Di-  
conale.

II. ARCHI-PRESBYTER juxta c. 1. 2. & 3. ha-  
„ debet super omnes Presbyteros curam  
„ gerere animarum; & si sit de Urbe, quan-  
„ do ibi Præsul defuerit, vice ejus, per se  
„ vel cui de Sacerdotibus jufferit, Missam  
„ cantare; providere cuncta, quæ in Sa-

„cerdotum ministerio perfici debeant;  
„fontes benedicere, infirmos oleo perun-  
„gere; pœnitentiam cunctis Sacerdotibus  
„ad purgationem animarum injungere,  
&c. Insuper c. 4. h. t. statuitur: „Singulis  
„plebibus Archi-Presbyteros esse volu-  
„mus, qui imperiti vulgi sollicitudinem  
„gerant; & eorum Presbyterorum, qui  
„per minores titulos habitant, vitam jugi  
„circumspectione custodiant, & quâ unus-  
„quisque industriâ Divinum opus exer-  
„ceat, Episcopo suo renuntient. Unde  
Archi-Presbyter, qui etiam Decanus ap-  
pellatur, (quia communiter decem Pres-  
byteris præponebatur) alius est *Urbanus*  
seu *Civitatensis*, nempe Decanus Ecclesiæ  
Cathedralis, habetque Dignitatem; & licet  
spectato jure communi non sit præditus  
jurisdictione fori externi; consuetudo ta-  
men in variis Ecclesiis ipsi eandem tribuit,  
saltem in Clericos sui Collegii, subordina-  
tam tamen Episcopo. Alius *Ruralis*, qui  
non habet Dignitatem, sed simplex mi-  
nisterium seu Officium absque Jurisdi-  
ctione fori contentiosi.

III. PRIMICERIUS, qui etiam vocari solet  
Cantor seu Præcentor, (utî ipsius absentis  
vices gerens dicitur *Succentor*) juxta *c. un.*  
*h. t.* „præest in docendo Diaconis, quibus  
„donat lectiones, quæ ad nocturna Offi-



106 TIT. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. & XXVII.  
„cia Clericorum pertinent; & olim præ-  
erat Scholæ Cantorum seu psallentium,  
instituta in qualibet Cathedrali.

IV. SACRISTA juxta *c. un. b. t.* dicitur, ad  
„cujus curam pertinet custodia sacrorum  
„vasorum, vestimentorum Ecclesiastico-  
„rum seu totius thesauri Ecclesiæ; unde  
Thesaurarius appellatur.

V. CUSTOS, qui est quasi minister Sa-  
cristæ, juxta *c. 1. & 2. b. t.* „debet lintea-  
„mina Altaris & utensilia Ecclesiæ culto-  
„dire, (non pretiosa) lampades & lan-  
„ternas curare, per singulas Horas Ca-  
„nonicas signum sonare &c. ob quod  
huic titulo subjungitur *cap. un. in Extrav.*  
*comm.* in quo statuitur: „Religiosi Ordini-  
„num Mendicantium in nullo Conventu  
„suo sive loco plures campanas habeant  
„sine Sedis Apost. licentia, sed unâ pro  
„loco quolibet sint contenti. Si autem  
„alicubi plures campanas sine lite & con-  
„tradictione in proprios usus habent, illi-  
„dem etiam deinceps liberè uti possint.

Sunt præterea alia officia in Cathedra-  
libus, ut Præpositi, Scholastici, Vice-  
Domini, Cellarii &c. etsi de his non extet  
titulus in jure, quæ, uti & priora, an  
*importent Dignitatem seu Personatum, an*  
*nudum officium; & quinam ex his sumant*  
*officium per alios, etiam laicos, exercere*  
*possint*

*possint?* Attendi debet consuetudo juxta DD. passim.

## TITULUS XXVIII.

### *De Officio Vicarii.*

1. **V**ICARIUS seu vices alterius gerens est vel *in Divinis*, qui in cura animarum cæterisque ad internum forum conscientiae pertinentibus loco alterius deservit Ecclesiae: vel *jurisdictionis*, qui in foro contentioso seu externo jurisdictionem vice alterius v. g. Episcopi exercet.

2. *Vicarius in Divinis* potest esse vel *perpetuus*, qui auctoritate Episcopi cum assignata congrua portione fructuum obtinet perpetuam curam animarum loco principalis Rectoris exercendam, v. g. in Ecclesia incorporata Monasteriis, Prælaturis, Capitulis, &c. aut in Filiali, in qua ad præsentationem Rectoris Ecclesiae Parochialis, cui est subjecta, ponitur Vicarius perpetuus, juxta Reiffenst. *h. t. n. 29.* ad quem tunc spectat tota cura actualis; ad Rectorem verò principalem solum curam in habitu: vel *Temporalis*, quem Rector Ecclesiae tempore absentiae vel infirmitatis loco sui substituit; aut Episcopus, dum Parochia vacat, usque dum Ecclesiae de novo Rectore provideatur.

3. Vi-

3. Vicarius *Jurisdictionis* est, qui ad aliqua, vice Episcopi gerenda constituitur, idque vel in *Pontificalibus*, solétque dici *Suffraganeus*; vel in *Spiritualibus*, diciturque simpliciter *Vicarius*; vel tantum in *Contentiosis*, diciturque *Officialis*, qui est Præses Judicii Ecclesiastici. Institutus in spiritualibus pro tota Diœcesi dicitur *Vicarius Generalis*, habétque Dignitatem, sed quia non est stabilis, est compatibilis cum alia Dignitate aut beneficio curato, licèt ideo non excusetur per se à residentia; & quando aliqua delegatio vel expeditio inscribitur Româ ad Officiale Episcopi, per hunc de stylo Curiaë cis Montes intelligitur hic Vicarius, non Præses Judicii. Si quis foris seu extra Urbem, quam Episcopus inhabitat, pro certis Parochiis sit constitutus ad aliqua gerenda, dicitur *Vicarius foraneus*, qui non habet Dignitatem, nec Jurisdictionem à Jure, sed ab Episcopo delegatam, à quo proinde datur appellatio ad Episcopum delegantem. Econtra Vicarius Generalis habet jurisdictionem ordinariam, nempe à Jure, factâ nominatione Episcopi, ad quem ab eo non datur appellatio, quia facit idem tribunal, (unde mortuo Episcopo mortuus Vicarius, seu ipsius officium cessat, nec potest causas etiam inchoatas proseguere)

quale non faciunt Vicarii nati, seu quorum officio est Vicariatus ipso jure annexus, ut Archidiaconi &c.

4. Circa Vicarios perpetuos I. specialiter *h.t.* statuitur *c.1. in Decret.* „ Non esse  
 „ Canonicum, ut, qui curam animarum  
 „ in diversis habet Ecclesiis, Vicarius fiat  
 „ in alienis. Et c. 2. Si Clericus in aliis Ec-  
 „ clesiis Vicarias habeat, vel Ecclesiasticos  
 „ redditus, de quibus possit sustentari,  
 „ à Vicaria alterius Ecclesiæ removeatur;  
 „ quia cum Vicarii teneantur Ecclesiis &  
 „ propriis personis deservire, alienum est  
 „ ab ordine juris, ut Vicariam quis habeat  
 „ præter unam. Et c. 6. mandatur Episco-  
 „ po, quatenus perpetuos Vicarios ut in  
 „ Ecclesiis, in quibus Vicarias obtinent,  
 „ resideant, ut tenentur; & se in Presby-  
 „ teros, ut eorum cura exigit, faciant pro-  
 „ moveri, per subtractionem proventuum  
 „ compellat. Item II. In *Clem. c. un. h.t.*  
 „ statuitur: „ Quæ de Ecclesiis curatis, ea-  
 „ rumque Rectoribus promovendis ad  
 „ Sacerdotium & horum ætate à Jure sta-  
 „ tuta sunt, in perpetuis Ecclesiarum Pa-  
 „ rochialium Vicariis & assumptis ad eas  
 „ observari debent.

5. Circa Vicarios Generales Episcopi  
*h.t. in 6. c. 2.* decernitur: „ Licet in Offi-  
 „ cialium Episcopi per commissionem sibi  
 „ gene-

„ generaliter factam cognitio causarum  
 „ transferatur, potestatem tamen inqui-  
 „ rendi, corrigendi aut puniendi aliquo-  
 „ rum excessus, sive aliquos à suis bene-  
 „ ficiis, officiis vel administrationibus  
 „ amovendi transferri nolumus in eun-  
 „ dem, nisi sibi specialiter hæc committan-  
 „ tur. Et c. 3. Cum in generali concessione  
 „ nequaquam illa veniant, quæ non esset  
 „ quis verisimiliter in specie concessurus,  
 „ nec regulariter donare valeat is, cui bo-  
 „ norum administratio etiam libera est  
 „ concessa, Officialis aut Vicarius Gene-  
 „ ralis beneficia Episcopi conferre non  
 „ possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis  
 „ sit specialiter commissa.

Quænam Vicarius Generalis facere  
 possit vi Vicariatûs generaliter sibi com-  
 missi, & quæ facere nequeat sine speciali  
 mandato? Fusè tradit Leur. *in Vic. Episc.*

## TITULUS XXIX.

*De officio & potestate Judicis delegati.*

JUDEX DELEGATUS est, qui non habet juris-  
 dictionem jure suo, seu vi proprii offi-  
 cii, sed eam exercet ex commissione al-  
 terius, cujus vice fungitur; unde etiam  
 appellatur *Commissarius*, à cujus sententia  
 appellari potest ad delegantem. H. T. agi-  
 tur

tur de Delegato Apostolico, de quo statuit Pontifex :

1. I. *Circa ipsius auctoritatem c. 5. in Decret.* „ Postquam alicui causa, licet simpliciter, delegatur, potest auctoritate „ Apost. partes compellere, & contumaces „ severitate Eccles. coërcere, etiamsi literæ „ commissionis id non contineant. C. 7. Si „ Judex ordinarius ad mandatum Judicis „ à Papa delegati non vult aut non potest „ aliis resistantibus sententiam ab eo latam „ effectui mancipare, delegatus eam auctoritate sibi commissâ potest executioni mandare; & si qui sibi restiterint, eos „ Ecclesiasticâ sententiâ coërcere. C. II. „ Cum Delegatus Papæ vices ipsius gerat, „ in causa illa superior est & major illis, „ quorum causam suscepit terminandam; „ quare si Episcopus vel alius ipsi non subiectus in causa delegata rebellis aut contumax fuerit, secundum quantitatem „ vel qualitatem facti poterit à Delegato „ per Censuram compelli.

2. C. 33. h. t. in *Decret.* dicitur: „ Cum „ quidam B. Sigilla Delegatorum violâset, & scripta Papæ præsentanda aperuisset, in causationem suam proponens, „ quod Judices perperam processerint „ contra ipsum, cum acta in scriptis minus „ fideliter redegissent, ideoque timuerit,

„ ne

ne literas portaret Uriæ: Respondit Pontifex, quòd debuisset vel non recipere scripta suspecta, vel recepta Papæ fideliter præsentare; & ut in hoc saltem puniretur, in quo peccaverat contra acta Judicium, quæ temerè violârat, ipsum noluit exaudire, nec verbis ipsius fidem duxit adhibendam, ne videretur dolus suus ei patrociniū attulisse. Denique c. 41. ait Pontifex: „ Qui xx. annum peregit, dari potest in ætate hujusmodi delegatus: Constituto intra ætatem eandem (nisi partes scienter consentirent in eum, qui annum xviii. transcendisset) facta delegatio ab alio quàm à Principe, non teneret.

3. II. *Circa potestatem subdelegandi* discernitur c. 6. h. t. „ Judex à Papa delegatus causam sibi commissam potest aliis delegare aut totam audiendam & terminandam, aut etiam ut allegationes audiant, & rationes & attestations recipiant, & sententias sibi seruent. Si vero duobus causa committitur, etiam si non apponatur, ut unus sine altero in ea procedat, nihilominus unus ex ipsis sive suo conjudici, sive alteri vices suas in hac parte committere potest. C. 16. Cum duobus causa committitur, sententia unius non tenet, subintellige citra sub-

delegationem sibi à Condelegato factam.  
 C. 27. „ Cùm Delegatus à Papa jurisdic-  
 „ tionem suam in alium transfert totam,  
 „ si fuerit appellandum, non ad eum, sed  
 „ ad Papam appellari debet. Cùm autem  
 „ mediam alicui committit, aliquid sibi  
 „ de jurisdictione reservans, v. g. Senten-  
 „ tiam diffinitivam, si causa ei appell. rem.  
 „ sit commissa, ab ipso tanquam Auditore,  
 „ si fines mandati excedat, vel sit suspen-  
 „ ctus, appellari potest ad Delegatum, qui  
 „ tunc causam potest diffinire. Si verò duo  
 „ sunt à Principe delegati, & unus com-  
 „ mittat vices suas alteri, ille nec potest  
 „ appel. rem. procedere, nec causam alteri  
 „ delegare, quamvis in commissione facta  
 „ duobus contineatur expressum, ut ap-  
 „ pel. rem. procedere alter possit sine re-  
 „ liquo, si non possunt ambo pariter inter-  
 „ esse; quia quod potest ex sola jurisdic-  
 „ tione sibi à Principe delegata, non potest  
 „ cum jurisdictione sibi à Condelegato  
 „ commissa.

4. „ C. 28. Cùm Delegato Principis jus  
 „ dandi Judicem ex causa sit à lege con-  
 „ cessum, potest compellere renitentem,  
 „ eò quòd jurisdic-  
 „ tione illa nullius aliàs vi-  
 „ deretur esse momenti. Si mera executio  
 „ sententiæ Judici ordinario demandatur,  
 „ hic exequi tenetur eandem, etsi sciat

„illam injustam, i. e. contra jus litigatoris  
 „latam, à qua intra tempus legitimum non  
 „fuit appellatum, quæ tunc ex juris dispo-  
 „sitione tenet, & est executioni mandanda,  
 „ut sit litium finis; quamvis fuerit injusta  
 „ex parte Judicis eam ferentis. Item C. 43.  
 „Cui injungitur à Principe, ut personali-  
 „ter negotium exequatur, potest (dum-  
 „modo partes consentiant) hoc aliis de-  
 „legare, præterquam in casibus, in quibus  
 „Papa fidem & industriam personæ elige-  
 „re videtur. Exemplum habetur c. 10. in 6.  
 „h. t. „Cui à Pontifice committitur certa  
 „personæ provisio de beneficio in certa  
 „Ecclesia, potest alteri committere vices  
 „suas; sed si committatur eidem, ut alicui  
 „personæ idoneæ, (nullâ certâ expressâ  
 „de certo beneficio provideat, cum circa  
 „eligendam personam ejus industria vi-  
 „deatur electa, non videtur alteri provi-  
 „sionem posse demandare, nisi in forma  
 „commissionis id exprimatur.

5. III. *Circa Condelegatos* statuitur in  
*Decret. h. t. c. 31.* „Cum tribus causa com-  
 „mittitur, ita quòd si omnes interesse ne-  
 „quiverint, duo nihilominus eam exe-  
 „quantur; & aliquis Delegatorum non  
 „ostenderit, se interesse non posse, vel de  
 „hoc Canonice non constet, residui pro-  
 „cedere ad causæ cognitionem non de-  
 „bent.

„bent. Si aliquis ex ipsis, cum possit, no-  
 „luerit interesse, duo nihilominus in causa  
 „procedant, licet ille tertius gravissime sit  
 „arguendus, pro eo quod mandatum  
 „Apost. exequi contemnat. Et *c. 8. in 6. h. t.*  
 „Cum plures sub hac vel simili forma: *Ut*  
 „*omnes, aut duo, vel unus eorum mandatum*  
 „*Apost. exequantur*, à Papa deputantur,  
 „singuli habent jurisdictionem in soli-  
 „dum, & quilibet liberè potest adimplere  
 „mandatum. Porro uno eorum nego-  
 „tium inchoante, alii se amplius eidem  
 „immiscere nequeunt, nisi qui prævenit,  
 „justâ causâ impediretur, aut nollet pro-  
 „cedere; jurisdictione verò tali casu per  
 „unum perpetuatâ, intelligitur perpetua-  
 „ta quoad omnes.

6. IV. *Circa cessationem Officii Delegati*  
 decernitur *h. t. c. 9.* „Ex quo Delegatus  
 „per se vel per alium sententiam execu-  
 „tioni mandat vel præcepit mandari, ejus  
 „jurisdictio cessat, quia semel est officio  
 „suo functus; uti etiam juxta *c. 38. h. t.* Si  
 „interloquendo pronuntiavit, se per lite-  
 „ras exhibitas procedere non debere. Et  
 „*c. 14.* „Cum ad Abbates L. & U. sub expres-  
 „sis nominibus locorum & non persona-  
 „rum, commissio Apost. emanasset, & Ab-  
 „bas L. mortuo Abbate U. hujus successio-  
 „nem, porrecto illi mandato, sibi socium

in cognitionem causæ adjunxit, Pontifex  
sententiam illorum ratam & firmam ha-  
buit, quia delegatio erat realis seu an-  
nexa Dignitati, non Personalis.

7. C. 19. dicitur: Si lis contestata fue-  
rit ante obitum Delegantis, mandatum  
nullatenus expiravit; si verò ante litem  
contestatam decessit, non est in eo casu  
à Delegatis procedendum. C. 20. Cum  
citatione factâ negotium sit quasi ce-  
ptum, & maximè si Delegatus non sit  
certus de obitu Delegantis, potest & de-  
bet in causa procedi, tenebitque, quod  
justitiâ fuerit præviâ judiciali tramite de-  
finitum. C. 30. Cum causa tribus Judi-  
cibus delegatur sub hac clausula: *Si non*  
*omnes his exequendis poteritis interesse*  
*duo vestram nihilominus eam exequan-*  
*tur*, & unus, postquam commisit cuidam  
ex aliis vices suas, de medio sit sublatus  
Tertius ut suspectus meritò sit recusatus  
respondet Pontifex: Si superstes juris-  
dictione à suo sibi Collega delegatâ et  
vivente uti non inceperit, quia manda-  
tum hujusmodi re integrâ morte man-  
datoris expiravit, non habet solus offi-  
cium judicandi; si verò ante mortem  
illius jurisdictione uti cœperit taliter de-  
mandatâ, vices suas & illius poterit ad-  
implere. Et C. 42. Uno Delegatorum

rebus humanis exempto, eorum officium expiravit; nisi aliud in delegatione fuerit expressum, v. g. per clausulam:

*Si non ambo &c.*

8. Additur *in 6. b. t. c. 5.* „Judex Apost. etsi legitimè recusari valeat, licitè vices suas alteri committit, antequam recusatio coram ipso proponatur. Si totum commiserit, recusari aut commissio ejus impugnari ulterius non poterit, uti posset, si non totum commisisset. Post recusationem verò propositam committere quidem potest, sed cum recusatoris assensu, estò recusatio foret probata, modò pronuntiatum non sit super ea; ex tunc enim (cùm omninò Judex esse desierit) nihil committere potest, etiam cum recusatoris assensu. Item *c. 6.* Quamvis Delegatus Papæ causam sibi delegatam in totum alicui commississent, si tamen ille jurisdictione non usus aut mortuus fuerit, Delegatus causam resumere potest, cùm jurisdicctio, quâ Subdelegatus usus non est, non censeatur efficaciter in ipsum transivisse; secus, si Subdelegatus agere cœpit, quia Delegans subdelegando totam causam tunc est functus suo officio, & jurisdictione se abdicavit. Ita Pirrh. *b. t. n. 197.* Et *C. 7.* „Si Delegatus committat vices suas sub conditione: *Quoties*

„*abfuerit*, poterit Subdelegatus eo de-  
 „functo (cum & tunc censeatur abesse)  
 „causam definire, modò ipso vivente ju-  
 „risdictione uti cœperit. Idem poterit, si  
 „vices suas subdelegavit, *donec revocet*,  
 „nam talis commissio, per quam (nisi  
 „antea fuerit revocata) censeatur etiam  
 „sententia committi, re non amplius in-  
 „tegrâ nequaquam expirat.

9. Denique *c. 9. h. t. in 6.* statuitur: „*S*  
 „super gratia Apost. Executores deputen-  
 „tur, æquum est, ut, sicut ipsa gratia mor-  
 „te non perimitur concedentis, sic nec  
 „etiam re integrâ perimatur Executori-  
 „bus data potestas, quam, veluti gratia  
 „accessoriam, naturam congruit sequi  
 „principalis, ne gratia eadem vel red-  
 „datur omnino inutilis, vel ejus effectus  
 „cum dispendio illius, cui facta est, dif-  
 „feratur. *Quando nam in collatione bene-*  
*ficiorum, dispensationibus matrimonialibus*  
*et c. gratia censeatur facta, pro qua*  
*deputetur Executor necessarius; et quan-*  
*do facienda, ita ut morte concedentis*  
*integrâ expiret facultas Executoris*  
*voluntarii? Vide apud Pirrh. h. t. n. 193. et seq.*  
*Tambur. L. 8. de Matrim. Tr. 2. §. 1. Lem-*  
*L. 1. Fori benef. Q. 363. et alios.*

☞ (†) ☞

TITU

## TITULUS XXX.

*De Officio Legati.*

**I.** LEGATI APOSTOLICI sunt in triplici differentia: nam vel sunt *Legati à latere*, & tales sunt soli Cardinales, quia ad latus Pontificis assistunt, & ab eo missi ad obeundum in aliqua Provincia Legationis officium; vel sunt *Legati missi*, quando Papa Episcopum vel Prælatum non Cardinalem dimittit ad Provinciam gubernandam, diciturque Nuntius Apostolicus; vel sunt *Legati Nati*, quando Dignitati v. g. Archi-Episcopali munus Legationis est annexum, ut, simul ac consequuntur talem Dignitatem, eo ipso Legati nascantur ac fiant. Talis in Italia est Archi-Episcopus Coloniensis; in Germania Salisburgensis; in Gallia Rhemensis; in Hispania Toletanus; in Polonia Gnesnensis &c. Præterea de stylo Curia dantur Nuntii Apostolici cum potestate Legati de Latere, qui pro Ambassada mittuntur ad Imperatorem aliosque Reges, quibus jure scripto nulla specialis potestas est adscripta; unde tantum possunt ea, quæ exprimuntur in Literis Legationis. Circa Legatos

2. I. In *Decret. h. t.* statuitur c. 1., Licet

H 4

„ Archi-

„ Archi-Episcopus Metropolitico jure au-  
 „ dire non debeat causam de Episcopati-  
 „ bus suis, nisi ad eum per appellationem  
 „ deferatur; Legationis tamen obtentu  
 „ universas per appell. vel querimoniam  
 „ ad se pervenientes audire potest, quia in  
 „ Provincia sua vices Papæ gerere com-  
 „ probatur. Verum Jure novo Trid. *sess. 24.*  
 „ *c. 20. de Ref.* „ Legati etiam de Latere non  
 „ possunt cognoscere causas, nisi ob negli-  
 „ gentiam biennalem Ordinarii vel per  
 „ justam appellationem ad ipsos devolu-  
 „ tas; adeoque primam instantiam per  
 „ modum querelæ hodie Episcopis auferre  
 „ nequeunt. Item *c. 2. h. t.* „ Cum mandatum  
 „ speciale derogat generali, Legatus com-  
 „ missionem alteri specialiter factam non  
 „ potest impedire, aut sententiam latam  
 „ irritare; latam tamen confirmare valet  
 „ & executioni mandare. *C. 3. & 4. Pro-*  
 „ hibet Pontifex Legatis à Latere, Episco-  
 „ pum transferre ab una Ecclesia ad aliam,  
 „ aut unam subjicere alteri, aut duos Epi-  
 „ scopatus unire, vel unum dividere sine  
 „ licentia speciali. *C. 8.* Si Legatus à La-  
 „ tere destinetur ad partes Legati missi vel  
 „ nati, horum officium, quamdiu ipse ibi  
 „ fuerit, pro Sedis Apost. reverentia ces-  
 „ sat. *C. 9.* Excommunicatos pro injectio-  
 „ ne manuum violenta in Clericos Legati  
 „ qui

„qui non sunt de Latere, extra Provin-  
 „ciam sibi commissam, neque eos, qui  
 „aliunde eò veniant; neque Legati Nati  
 „subditos suos etiam in Provincia sua  
 „possunt absolvere, nisi de speciali gratia  
 „ipsis concedatur. Et C. 10. Legatorum  
 „Sedis Apost. statuta in sua Provincia edi-  
 „ta durant tanquam perpetua, etiam post  
 „illorum egressum. Si autem causam de-  
 „legarint aliquibus, jurisdictio illorum  
 „expirat, si ante Legatorum discessum  
 „citatio partium non præcesserit.

3. II. In 6. h. t. c. 1. statuit Pontifex, ut  
 „Legati missi vel nati vi Legationis bene-  
 „ficia conferendi nullam habeant potesta-  
 „tem, nisi hoc alicui specialiter indulgea-  
 „tur; secus est in Cardinalibus, qui, sicut  
 „honoris prærogativâ lætantur, sic eos  
 „auctoritate fungi vult ampliori, unde  
 „etiam c. 36. de Elect. in 6. dicitur: Legatus  
 „de latere potest Archi-Episcoporum,  
 „Episcoporum & exemptorum Prælato-  
 „rum electiones ex officio confirmare;  
 „alii autem Legati hoc nequeunt, nisi id  
 „sit specialiter ipsis commissum. Item  
 „C. 2. h. t. „Pontifex Legatos reputat Ordi-  
 „narios, & declarat commissum illis offi-  
 „cium morte Pontificis committentis  
 „non expirare. Ratio, quia Judex ordi-  
 „narius non amittit jurisdictionem, etiam

re integrâ & ante usum illius, per mortem constituentis. Accedit, quòd ii dicantur Legati Sedis Apost. quæ non moritur, ex *c. 5. de Rescrip. in 6.* Hinc per mortem Papæ (aut Episcopi) Sedes dicitur vacare, non autem non existere. Unde cit. Cap. 5. ait Pontifex: „ Si gratiosè tibi à Rom. Pontifice concedatur, ut beneficia, quæ tempore tuæ promotionis obtinebas, posses „ usque ad suæ voluntatis beneplacitum „ retinere, huiusmodi gratia per eius obitum, per quem ipsius beneplacitum „ omnino extinguitur, eo ipso expirat, „ secus autem, si usque ad Apost. Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta; tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuò, nisi à successore fuerit revocata.

## TITULUS XXXI.

*De Officio Iudicis ordinarii.*

I. J UDEX ORDINARIUS dicitur ille, qui non alieno beneficio, sed jure proprio seu ratione Officii seu Dignitatis suæ jurisdictionem ex jure scripto vel consuetudine sibi competentem exercet; diciturque ideo *Ordinarius*, quia servato ordine Princeps supremus illam potestatem juxta proportionem officiorum inferioribus

impertitur, ut juxta ordinem ab inferiori ad superiorem possit fieri appellatio; differt à *Delegato*, nam Ordinarius potest regulariter delegare suam jurisdictionem (non totam, quia sic censeretur officio suo ordinario sese abdicare, quod nequit fieri inconsulto Principe) quoad casus particulares, & sententiam à se latam per alium exequi; è contra Delegatus absque speciali concessione per Delegantem sibi factâ subdelegare non potest, (nisi articulum non jurisdictionalem, per quod nudum ministerium alteri committitur, v.g. ut investiget super aliqua exceptione, utrum testis sit admittendus, vel de alio consimili) & executionem Sententiæ à se latæ Deleganti remittere. Utrumque tamen, æquè ac Ordinarius potest Judex simpliciter delegatus à Principe, v.g. Papa vel Imperatore.

2. Supremus Judex Ecclesiasticus est Papa; dein Legatus; tertio Patriarcha vel Archi-Episcopus; quarto Episcopus, ac eo mortuo Capitulum Cathedrale succedit in illius jurisdictionem. Præterea juxta communissimam Vicarius Generalis habet jurisdictionem ordinariam quoad causas in generali commissione contentas; imò etiam quoad causas arduas, alias specialem Episcopi commissionem

requirentes, v. g. de admissione resignationum &c. Si eæ tanquam accessoria in generali commissione jurisdictioni Vicarii annectantur, quamvis ex dispositione juris ejus officium per mortem Episcopi expiret.

3. Insuper Judex Delegatus ad universitatem causarum (cui vel omnes universim causæ, vel saltem certum genus causarum v. g. matrimonialium &c. sub uno nomine colectivo committuntur; esto restrictè ad locum & tempus) dicitur quasi ordinarius, & habere jurisdictionem *mandatam*. Denique Parochus, quamvis de jure communi non habeat jurisdictionem in foro externo contentioso, ut cum Parochianis non possit per se dispensare in præceptis Ecclesiæ, aut in eos ferre Censuras, nisi jure speciali, nempe ex privilegio aut consuetudine eam obtinuerit, ut Plebanus, de quo in *c. 3. h. t.* „Cujus sententiam censuræ Pontifex præcepit observari, & sine ejus consensu prohibuit ab Episcopo relaxari; habet tamen jurisdictionem ordinariam quoad administrationem Sacramentorum & assistendum matrimoniis. Quantam jurisdictionem & quo ordine eam habeant Prælati Regulares? Desumendum ex Ordinis Constitutionibus. Circa Judicem Ordinarium

4. I. In Decret. *h. t.* decernitur *c. 1.*

„Habeant Episcopi singularum Urbium  
 „in suis Diœcesibus liberam potestatem  
 „adulteria & scelera inquirere, ulcisci &  
 „judicare secundum Canones absque im-  
 „pedimento alicujus; & cum opus fuerit,  
 „publicum convocent auxilium, i. e. bra-  
 „chium sæculare. *C. 4.* mandatur Episco-  
 „po, ut quando in Ecclesiis vacantibus  
 „personæ minus idoneæ præsentantur,  
 „vel ob litem aliãve de causa de jure per-  
 „sona non potest institui, appell. cess. po-  
 „nat œconomum, qui debeat Ecclesiarum  
 „fructus percipere, eosque futuris perso-  
 „nis fideliter reservare. Quod Jure novo  
 Trid. *sess. 25. de Ref. c. 9.* etiam decernitur,  
 estò foret Patronus Ecclesiasticus. Vide  
 Pirh. hîc *n. 62.*

5. *C. 7.* „mandat Pontifex Episcopo,  
 „ut Regulares claustrum abhorrentes, &  
 „per Curias Principum discurrentes, si ad  
 „commonitionem ipsius non resipuerint,  
 „ut proprium in manibus suorum Præla-  
 „torum relignent, & Regularem vitam  
 „observent, ac Prælatus monitus id exe-  
 „qui omiserit, appell. rem. illos Regulares  
 „per Censuras ad hoc compellat. Imò  
 Trid. *sess. 6. de Ref. c. 3.* decernit: „Nemo  
 „Regularis extra Monasterium degens,  
 „etiam sui Ordinis privilegii prætextu, tu-  
 „tus

„tus censeatur, quò minus, si deliquerit,  
 „ab Ordinario loci tanquam super hoc  
 „à Sede Apost. delegato secundum Cano-  
 „nicas Sanctiones visitari, puniri & cor-  
 „rigi valeat. Item *c. 13.* Ut Ecclesiarum  
 „Prælati correctionis & reformationis  
 „officium liberè exerceant, decernit Pon-  
 „tifex, ut executionem nulla consuetudo  
 „vel appellatio valeat impedire, nisi mo-  
 „dum in corrigendo, seu formam excel-  
 „serint in talibus observandam.

6. II. In *6. h. t. c. 1.* prohibet Pontifex,  
 „ne Archi-Episcopus in Diœcesibus Suf-  
 „fraganeorum suorum (licet causas ap-  
 „pellationum ad se jam delatas possit in  
 „iisdem delegare) Officiales Foraneos  
 „constituat pro causis futuris, seclusa  
 „consuetudine speciali. Et *C. 4.* Cum  
 „Prælati subditis subinde interdican-  
 „Superioribus aut Visitatoribus statum  
 „Ecclesiarum, Monasteriorum vel per-  
 „sonarum exponant, ipsosque juramen-  
 „tis, promissionibus, pœnis ad hoc ad-  
 „stringant, Pontifex ejusmodi attentata  
 „prohibet, eaque esse irrita, nec quen-  
 „quam ejusmodi juramentis, promissio-  
 „nibus, pœnis quomodolibet adstringi  
 „decernit, prævaricatorésque præcipit  
 „castigari. *C. 9.* prohibet BONIF. VIII.  
 „ne Episcopi, vel Prælati, aut quæcunque

„Ecclesiasticæ personæ Beneficiorum aut  
 „Ecclesiarum ad se pertinentium bona &  
 „obventiones, morientibus eorum Recto-  
 „ribus, occupare, aut in usus suos con-  
 „vertere audeant, (nisi de speciali privi-  
 „legio, vel consuetudine, vel aliâ causâ  
 „rationabili hoc eis competat) sub pœnâ  
 „suspensionis ab officio & beneficio, quo-  
 „usque restitutionem fecerint de præ-  
 „dictis. Per quod non vult in aliquo de-  
 „rogari Constit. à se editæ C. 40. de Elect.  
 „in 6. ubi decernit: Ut qui Cathedralibus  
 „& Regularibus ac Collegiatis Ecclesiis  
 „vacantibus bona à Prælati dimissa vel  
 „vacationis tempore obvenientia, quæ in  
 „utilitatem dictarum Ecclesiarum expen-  
 „di vel successoribus debent reservari,  
 „occupant, inter se dividunt & consu-  
 „munt, dictæ pœnæ suspensionis eo ipso  
 „subjaceant. CLEMENS V. c. 7. de Elect.  
 „in Clement. hoc Statutum quodammodo  
 „explicat, dicens: „Quòd locum habeat  
 „in omni emolumento, quod provenit  
 „ex jurisdictione & sigillo Curia, aut aliàs  
 „ad Prælatos pertineret. Unde etiam jura  
 „Stolæ vacante Parochiâ successoribus sunt  
 „reservanda. (Nisi ex consuetudine hæ-  
 „redes habeant annum gratiæ.) Deductis  
 „tamen expensis faciendis pro sustenta-  
 „tione ac stipendio œconomi, conserva-  
 „tione

tione domûs parochialis, aliisque necessariis.

7. III. „In Clement. h. t. c. i. Pontifex  
 „Episcopis districtè injungit, ut Cleri-  
 „corum audacia incorrecta propensius  
 „compescatur, quatenus sic circa cor-  
 „rectionem Clericorum vigilanter inten-  
 „dant, & diligenter Officii sui debitum  
 „exequantur, quòd & iisdem Clerici meru-  
 „erunt & pœnis à suis arceantur insolentiis, &  
 „alii eorum exemplo perterriti proflire  
 „ad similia meritò pertimescant. Item  
 „C. 2. ab Apost. Sedis Legato de Beneficio  
 „facta collatio Beneficium aliud obtinenti  
 „non valet, nisi de illo, quod obtinet, facta  
 „fuerit mentio specialis; in aliis tamen  
 „quibuslibet, collationem Beneficiorum  
 „habentibus, hoc nolumus observari.  
 Unde taciturnitas Beneficii præhabiti non  
 vitiat collationem factam à Prælati inferioribus  
 Papâ vel Legato à Latere, quia illi censentur  
 habere majorem notitiam personarum & Beneficiorum,  
 ut non possit tam facilè contingere ob- vel subreptio.

8. IV. In *Extrav. Comm. b. t. c. 2.* „Man-  
 „dat Pontifex Ordinariis, ut subditis suis  
 „plures Dignitates & Personatus, aut Ec-  
 „clesias curatas; aut Dignitatem vel Per-  
 „sonatum cum alio Beneficio curato ob-  
 „tinentibus injungant, ut dispensationes

„desuper obtentas, si quas habent, intra  
 „tempus arbitrio Ordinariorum mode-  
 „randum ipsis exhibeant; & ut statuitur  
*c. 3. in 6. h. t.* Quòd si justo impedimento  
 „cessante dispensationem non exhibeant,  
 „beneficia, quæ eo ipso illicitè detineri  
 „constabit, personis idoneis conferantur.  
 Verum post decennalem possessionem  
 Episcopum non posse cogere Clericum  
 ad exhibendam dispensationem, quia tunc  
 præsumitur concessa, docet Postius apud  
 Lac. *L. 4. n. 755.*

9. Pro fine observa, si Princeps Judici  
 Ordinario per mandatum causam com-  
 mittat, cujus cognitio ad ipsum jure com-  
 muni spectabat, non ideo hic efficitur de-  
 legatus, sed tantum ejus jurisdictio ex-  
 citatur, juxta *c. 12. in Decret. h. t.* Si autem  
 Papa concedat Episcopo, ut in causa suæ  
 jurisditioni ordinariæ subjecta possit  
 procedere etiam tanquam Sedis Apost.  
 Delegatus aut auctoritate Apost. ut sæ-  
 pius decernitur in Trid. & ipse potestate  
 delegatâ tunc uti velit, (ut in dubio præsu-  
 mitur voluisse) illa clausula hoc operatur,  
 quòd in eo casu non fiat appellatio ab Epi-  
 scopo ad Archi-Episcopum, (prout aliàs  
 fieri posset, si utatur tantum jurisditione  
 ordinariâ) sed solum ad summum Pontifi-  
 cem tanquam à Delegato ad Delegantem.

## TITULUS XXXII.

*De Officio Judicis.*

**P**ost Titulos de Officio Judicum in specie subjungitur Titulus de Officio Judicis in genere, quod est duplex, *Nobile & Mercenarium*. Hoc est, quod deservit propositæ in judicio actioni, (quæ nimirum ex parte actoris supponit jus & ex parte ejus, contra quem intentatur debitum, v.g. solvendi mutuum, restituendi beneficium, &c.) sicut mercenarius deservit Domino. Unde actione in judicium deductâ, quidquid tunc Judex præcipit, prohibet, interloquitur, aut sententiât, fieri dicitur ex officio mercenarii quod prolata sive benè sive malè sententiâ definitivâ expirat, quia Judex esse desinit cum jam officio suo mercenario functus sit; & executio sententiæ expeditur officio Judicis Nobili, quo nunquam defungitur, estque illud, quod propriè non deservit actioni, sed Judex ex officio, auctoritate Juris aut æquitate sic suadente exercet.

2. Officium Nobile exercet Judex *motu proprio* nemine instante, ut cum inquirat in delicta, pupillis constituit Tutores, parti litiganti Advocatum, si ob periculi periem aliamve causam illum habere no-

possit. Sic C. 1. h. t. „Pontifex approbat  
 „factum Archi-Episcopi, qui parti pro-  
 „ponenti, quòd habere non posset Advo-  
 „catum, pro Advocato assignavit Cleri-  
 „cum suum domesticum; & quamvis al-  
 „tera pars contra hoc exceperit, mandat  
 „tamen Pontifex, ut hoc non obstante ra-  
 „tione præviâ procedat.

3. Vel Judex illud exercet *ad instantiam*  
*partis* non habentis quidem actionem, sed  
 implorantis officium Judicis contra cer-  
 tam personam, ita ut necessaria sit causæ  
 cognitio; & tunc imploratio officii suc-  
 cedit loco actionis, de qua C. 2. h. t. decer-  
 nitur: „Judicis officium, ubicunque pro  
 „actione proponitur, veluti cum restitu-  
 „tio in integrum principaliter postulatur,  
 „litis contestationem exposcit. Si verò  
 dicta imploratio non fiat contra certam  
 personam, v. g. dum minor petit restitui  
 contra factum suum, ut nimirum liceat  
 sibi hæreditatem aditam, ex qua læsus est,  
 repudiare; vel si fiat contra personam in-  
 certam, v. g. ut fiat inquisitio in furem  
 ignotum; vel quando non est opus cogni-  
 tione causæ, eò quòd hæc fit liquida & no-  
 toria, v. g. si filius à patre petat alimenta,  
 &c. in his casibus non est opus litis con-  
 testatione, sed de plano procedi debet se-  
 cundum jura.

4. Quæ à Canonistis h. T. traduntur, vide in Nucl. Theol, nempe 1.<sup>mò</sup> qualem debeat Judex ferre sententiam, quando pro utraque parte est probabilitas? *Exam. 3. n. 9.* 2.<sup>dò</sup> An possit sententiare juxta aliam legata & probata contra propriam scientiam? *Exam. 8. n. 9.* 3.<sup>tiò</sup> An teneatur restituere pecuniam acceptam pro sententia? *Exam. 13. n. 2.* Quibus addè: licet omni Jurisprudenti prohiberetur acceptare munus à litigantibus in ea quantitate, quæ de se apta sit inducere corruptionem judicis, potest tamen acceptare xenia, i.e. liberaliter oblata esculenta vel poculenta, quæ paucis diebus arbitrio boni viri taxandis absumi possunt, eò quòd ex his minus non præsumatur inflecti animus boni viri, uti etiam sportulas à consuetudine assignatas in supplementum salarii, quia nemo cogitur militare suis stipendiis etiam in Ecclesia, juxta Apostolum 1 Cor. 9.

## TITULUS XXXIII.

*De Majoritate & Obedientia.*

1. **M**AJORITAS est excellentia seu prærogativa unius personæ præ alia, ordinaturque vel ratione *Dignitatis*; sic Papa major omnibus; Cardinalis etiam nonnullis; Presbyter cæteris Clericis; vel ratione

*Jurisdictionis*, ut Archi Episcopus Episcopo; vel ratione *Ordinis*, sic Presbyter per se est major Diacono, Diaconus Subdiacono. Item cæteris paribus juxta C. 2. h. t. „ qui Subdiaconatum ab ipso Papa accepit, ei inter alios plus aliquid defertur, „ licet per hoc ab obedientia Episcopis debita non absolvatur; talis tamen prohibetur altiores Ordines ab Episcopo recipere sine licentia Papæ. Juxta C. 12. *de Temp. Ordinand.* Vel ratione *Antiquitatis* seu prioritatis temporis, sic juxta C. 1. h. t. „ *Prior* & major habeatur, qui prius fuerit ordinatus; Canonicus prior institutus, in Capitulo præcedit alios per se, nam consuetudo in honoris prærogativa præcipuè attendi debet ex C. 6. *de Constit.* Hinc quandoque Dignitas præfertur antiquitati, quandoque antiquitas Dignitati, ut ait *Wagnereck ad c. 15. h. t.*

2. Ex Majoritate præfertim jurisdictionis sequitur OBEDIENTIA, de qua in *Nucl. Theol. Exam. 20. n. 1. §. 5.* „ Hanc omnes fideles, ut dicitur *c. 1. h. t. in Extrav. Comm.* „ de necessitate salutis tenentur præstare „ Rom. Pontifici, qui utrumque gladium „ habet, & omnes judicat, à nemine judicatur. Imò Clerici possunt esse subjecti jurisdictioni Abbatis, nam *c. 12. in Decret. h. t.* „ *Cum Abbatis Quidlinbur-*

„genſis monſtravit, quòd ipſa Canonicas  
 „ſuas & Clericos ſuæ jurisdiſtioni ſub-  
 „jectos propter inobedientias & culpa  
 „eorum ab officio & beneficio ſuſpendat  
 „& iidem confiſi ex eo, quòd eadem eo  
 „excommunicare non poteſt, ſuſpenſio-  
 „nem huiuſmodi non obſervant, propte-  
 „quod ipſorum exceſſus manent incor-  
 „recti: mandat Pontifex Abbati M. qua-  
 „tenus dictas Canonicas & Clericos,  
 „Abbatiffæ præfatæ obedientiam & reve-  
 „rentiam debitam impendentem, ejus ſa-  
 „lubria monita & mandata obſervent  
 „monitione præmiſſâ per cenſuras appe-  
 „rem. compellat.

3. Ex quo inferunt DD. quòd licet ſu-  
 mina non ſit capax poteſtatis ferendi Cen-  
 ſuras aut pœnam ſuſpenſionis, cujus vi  
 latio inducat irregularitatem; poſſit ta-  
 men vi privilegii aut conſuetudinis in ſua  
 Eccleſiæ Clericos obtinere jurisdiſtioni-  
 nem, ut, ſi mandatis ipſius non obtempe-  
 rent, poſſit eos ſuſpendere improprie,  
 prohibere, ne in Eccleſia ſua Miſſas cele-  
 brent, & interim fructibus Beneficiorum  
 privare; ac ſi contumaciter inobedientes  
 ſint, implorare officium Superioris, ut  
 ipſe per Cenſuras eos compellat. Cæte-  
 rum datur quoque Obedientia merè *re-  
 rentialis*, quæ in altero non ſupponit jur-

ditionem, v. g. quam Regulares exempti promittunt Episcopo in ordinatione, de qua vide *L. 5. T. 31. n. 1.*

## TITULUS XXXIV.

*De Treuga & Pace.*

Differentia est inter Treugam & Pacem; nam PAX est totalis & perpetua discordiæ peremptio, voluntarie inter litigantes facta, estò una pars per potentiam alterius ad hoc cogatur invita; nam etiam *coacta voluntas est voluntas*, *Can. Merito 15. Q. 1.* Econtra TREUGA est securitas personis & rebus ad tempus præstita, discordiâ nondum finitâ, diciturque armistitium vel induciæ; estque vel *conventionalis*, quæ ex conventionione litigantium initur, à qua formam & modum recipit; vel *Canonica* seu legalis, à Lege vel Canone statuta. Sic *c. 1. h. t.*, Treugas ab adventu Domini usque Epiphaniam, & à Septuagesima usque Pascha inviolabiliter observari præcipitur. Et *c. 2.* Ut Presbyteri, mercatores, rustici & animalia, quibus arant, congruâ securitate lætentur. Verùm hi Canones cum suis pœnis non sunt usu recepti, & inter arma silent leges.

A Canonistis *h. t.* tractatur de bello paci

opposito, de quo actum in Nucl. Theol.  
*Exam. 26. n. 8. §. 5.*

## TITULUS XXXV.

### *De Pactis.*

**I.** Quæ de Pactis seu Contractibus in generaliter hinc tradunt Canonistæ, videtur in Nucl. Theol. *Exam. 13. & seq.* Quibus adde, PACTUM celeberrimè dividi in *Nudum*, quod in sola paciscentium conventionem consistit, paritque obligationem in foro interno; nam *c. 1. h. t.* dicitur: „Pacta sunt servanda. Et *c. 3.* Studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, operari compleantur: & *Vestitum*, quod præ conventionem partium habet aliud iuramentum administratum, ratione cuius actio civilis in foro externo oritur, ut si vestiatur stipulatione, quæ olim fieri debebat inter rogatione unius & responsione alterius v. g. *Promittis, te mihi tantum daturum. Promitto.* Hodie plerùmque vestitur pacta vel per publicum Instrumentum Notarii, vel per simplicem scripturam manu promissoris subscriptam cum Consule & die.

**2.** I. In Decret. specialiter reprobantur pacta sequentia. C. 4. „Cum Publius Clericus & Monasterium A. in causa inter-

„ ipsos super Capella L. convenissent in-  
 „ ter se privatâ auctoritate, ut Publio pro  
 „ expensis tres marchæ argenti solveren-  
 „ tur, & idem liti cederet, compositionem  
 „ istam Pontifex non duxit admittendam,  
 „ pro eo, quòd videbatur pravam illicitæ  
 „ pactionis speciem continere. Verùm  
 „ interveniente Superioris vel Judicis au-  
 „ ctoritate posse fieri pactum inter partes, ut  
 „ cedens liti beneficiali recipiat aliquid tem-  
 „ porale in compensationem expensarum,  
 „ aut ob bonum pacis & concordia, non  
 „ pro beneficio, tradit Pirrh. *b. t. n. 20.*

3. C. 5. „ Cum quædam Ecclesiæ Cle-  
 „ ricis sunt tali tenore concessæ, quòd post  
 „ eorum obitum alii nominatim succe-  
 „ dant, hujusmodi successiones tam de-  
 „ testabiles & iniquas Pontifex fieri pro-  
 „ hibet, & omnino frivolas & vanas esse  
 „ decernit. Ratio, quia tale pactum in-  
 „ ducit votum captanda mortis alienæ,  
 „ quod odiosum & utroque jure reproba-  
 „ tum. Item C. 6. „ Cum quidam Clerici, de-  
 „ cedentibus Ecclesiarum personis, pa-  
 „ ciscerentur pro ipsis Ecclesiis majores  
 „ solitisolvere pensiones, ut facilius eas-  
 „ dem Ecclesias possent adipisci, mandat  
 „ Pontifex, ut Ecclesiis taliter obtentis  
 „ appell. rem. spolientur, & aliàs pro tan-  
 „ tæ præsumptionis excessu severius pu-

„niantur. Ratio, quia tale pactum est  
„simoniacum.

4. „ C.7. Cum plerique Regulares & sæ-  
„culares Clerici, dum vel domos locarent,  
„vel feuda concederent, in præjudicium  
„parochialium Ecclesiarum pactum adji-  
„cerent, ut conductores & feudatarii de-  
„cimas eis solverent, & apud eos eligerent  
„sepulturam, Pontifex factum hoc repro-  
„bat, statuens, ut quidquid fuerit occasio-  
„ne hujus pacti perceptum, Ecclesiæ Pa-  
„rochiali reddatur. Ratio, quia licet qui-  
„vis sibi liberè eligere possit sepulturam,  
„etiam extra Parochiam, non tamen ad id  
„pacto obligari debet.

5. Denique C.8. statuitur: „ Pactiones  
„factæ pro quibusdam spiritualibus obti-  
„nendis, cum in hujusmodi omnis pactio  
„omnisque conventio debeat omnino  
„cessare, nullius penitus sunt momenti,  
„quod etiam de aliis est dicendum, quæ  
„observatæ vergunt in animæ detrimen-  
„tum; nam etiam juxta legitimas sanctio-  
„nes pactum turpe, rei turpis aut impos-  
„sibilis de jure vel de facto nullam obli-  
„gationem inducit.

6. II. In 6. h. t. statuit BONIF. VIII. c.1.  
„ Pactum factum à Regularibus cum Re-  
„ctore Parochialis Ecclesiæ, ne aliquos  
„vel certos ipsius Ecclesiæ Parochianos

„recipiant ad Ecclesiasticam sepulturam,  
 „omnino servare debent; etsi sepulturam  
 „liberam habeant à Sede Apost. & illi  
 „apud hos elegerint sepeliri. Et C. 3. addit:  
 „Cum FF. Minores & alii Mendicantes  
 „pacta cum Prælatiſ, Capituliſ & Paro-  
 „chiſ inita ſuper juribuſ Parochialibuſ  
 „ſervare recuſarent, quòd ſine Genera-  
 „lium aut Provincialium conſenſu ſint  
 „facta, eo non obſtante conſiſtiones  
 „& pacta huiuſmodi de ſuorum Conven-  
 „tuum conſilio & aſſenſu facta, debent ab  
 „iſiſ Fratribuſ in lociſ, in quibuſ fuerint  
 „facta, inviolabiliter obſervari. Verùm  
 notat Pirrh. *h. t. n. 14.* hanc Conſtitutio-  
 nem eſſe ſublataſ per SIXTUM IV. qui de-  
 dit FF. Minoribuſ Privilegium, vi cujuſ  
 omnia pacta, etiam à Guardianiſ facta  
 contra Statuta vel Conſuetudineſ Ordiniſ  
 abſque Generaliſ vel Provincialiſ licentia  
 & aſſenſu, ſunt invalida.

7. Item C. 2. ait Pontifex: „Quamviſ  
 „pactum patri factum à filia, dum nuptui  
 „tradebatur, ut dote contenta nullum ad  
 „bona paterna reſreſſum habeat, impro-  
 „bet lex civilis; ſi tamen juramento non  
 „vinec dolo præſtitum fuerit, ab eadem  
 „omnino ſervari debebit, cum non vergat  
 „in æternæ ſalutiſ diſpendium, nec redun-  
 „det in alteriuſ detrimentum. Notat ta-  
 men

men Pirrh. hîc n. 32. & seq. si filia sit dolo inducta, v. g. si pater dixit, modicas esse facultates suas, cum reverà magnæ essent; aut filia sit valde enormiter & multum ultra dimidium læsa, eam posse, petitâ juramenti relaxatione, restitutionem in integrum petere, & dein hæreditatem sibi debitam.

## TITULUS XXXVI.

### *De Transactionibus.*

**I.** **T**RANSACTIO est de re dubia & lite incerta & necdum finita, non gratuita pactio, sed aliquo dato & retento, promisso vel remisso. Differt ab *amicabili compositione*, utpote per quam gratis sine ulla hinc inde dato & retento, promisso vel remisso, sicque prorsus amicabiliter à lite receditur. Circa Transactionem in Decret. statuuntur sequentia:

2. C. 1. „ Post salubrem decisionem, i. e. „ transactionem cujusdam controversie „ decernit Pontifex, ut omnia instrumenta, vel quidquid aliud, quo partes præscriptionem, vel privilegium, vel quid simile probare possent, sit inane & cassatum, & solâ pactorum seu transactionis paginâ validum perpetuümque robur accipiat. Ratio, quia juxta *L. Non minor*

*rem. C. h. t.* æquiparatur rei judicatæ, parit exceptionem litis finitæ, & nequidem re-  
scripto Principis revocari valet. Nihilominus ob læsionem ultra dimidium potest  
Ecclesia, pupillus vel minorennis petere  
rescindi transactionem, & restitui in in-  
tegrum, ut cit. *L. L.* docet *Reiffenst. h. t. n. 53.*

3. *C. 2.* ait Pontifex: „ Si super Decimis  
„ inter laicos & personam Ecclesiasticam  
„ de assensu Episcopi compositio facta  
„ fuerit, rata & inconcussa persistat. No-  
tat tamen *Pirrh. h. t. n. 15.* Quòd licet non  
possit sine consensu Episcopi super juribus  
spiritualibus v. g. Decimis fieri transactio  
perpetua seu realis, quæ successores etiam  
obliget; v. g. in dubio, an laicus jus sol-  
vendi Decimas præscripserit, ut deinceps  
minus solvatur, vel certo modo fiat solu-  
tio; sine eo tamen possit fieri temporalis,  
seu ad certos annos; vel personalis ad tem-  
pus vitæ transigentis in sui ipsius præju-  
diciam, successores non obligans. Constat  
ex *C. 8.* „ Cùm Monachi prætextu cujus-  
„ dam transactionis inter ipsos & priorem  
„ Rectorem Ecclesiæ Decimas integrè  
„ non solverent, mandat Pontifex, quate-  
„ nus, nisi Monachi præfatam transactio-  
„ nem auctoritate Apost. confirmatam  
„ esse docuerint, cùm ea inter personas  
„ potius quàm inter Ecclesias facta videat-

„ tur,

„tur, nec acta inter alios alteri v. g. suc-  
 „cessori nocere permittantur, ad Decimas  
 „ex integro post hac solvendas compelluntur. Ratio, quia Rectores Ecclesiarum non sunt absoluti Domini jurium ac prædiorum Ecclesiasticorum, sed tantum usufructuarii, adeoque non possunt super iis facere transactionem perpetuam sine auctoritate Papæ, juxta C. *Ambitiosæ de Reb. Eccle. non alien.* partem Decimarum alienando.

4. „C. 5. Si aliquis ad Judicem Delegatum literis impetratis cum adversario componit, ut in Ecclesia, de qua agitur, jus aliquod habeat, si compositio non est juri contraria, ab Episcopo reprobari non debet, sed census sine Episcopali auctoritate, cui præest Ecclesiæ, sub hoc compositionis prætextu solutus vitam ejus, qui solverit, non excedat. Ex quo à contrario inferunt nonnulli DD. apud Lac. *L. 4. n. 556.* posse per auctoritatem Episcopi imponi beneficio onus pensionis ad vitam transigentis, cui solvitur. Communius contradicunt alii, quia argumentum à contrario sensu non admittitur, cum sequitur absurdum in jure, ut in præsentibus nam beneficia sine diminutione sunt conferenda. Vide *L. 3. T. 12.*

5. „C. 7. Consultus Pontifex, utrum

„ de Ecclesiastico Beneficio in litigium de-  
 „ ducto possit fieri transactio? Respondet,  
 „ quòd transigi super re litigiosa & sacra  
 „ non potest; etenim res sacræ, ut possi-  
 „ deantur aliquo dato vel retento sive pro-  
 „ misso, speciem creditur habere simoniæ,  
 „ alias si gratis & amicabiliter inter se liti-  
 „ gantes componant, sacris Canonibus ne-  
 „ quaquam obviat. Unde etiam C. 9. trans-  
 „ actionem, vi cuius laicus præsentatio-  
 „ nem retinebat, & Religiosi novam vel  
 „ solito majorem percipiebant portio-  
 „ nem, rescribit Pontifex, merito videri  
 „ simoniacam. Nihilominus extra ma-  
 „ teriam beneficalem non est illicitum vel  
 „ simoniacum transigere super re spirituali,  
 „ etiam sine consensu Superioris, absque  
 „ interventu ullius temporalis seu pretio  
 „ æstimabilis, v. g. si contentio sit super jure  
 „ præsentandi vel conferendi, possunt inter  
 „ se transigere, ut alternis vicibus id faciant;  
 „ vel uni hoc, alteri aliud beneficium priva-  
 „ tive cedatur, secluso præjudicio Ecclesiæ.  
 „ Ita Pirrh. *b. t. n. 23.*

6. Denique C. ii. decernit Pontifex: „ Si  
 „ lis oriatur super valore matrimonii con-  
 „ tracti, cum vinculum illud sit Jure Divi-  
 „ no indissolubile, non per transactionem  
 „ seu compositionem sopiri potest, sed jux-  
 „ ta Leges Divinas & Canonicas sanctio-

„ nes

„nes est decidenda, à quibus circa illud  
 „recedere non licet. *An & super quibus  
 criminibus Jure Canonico & civili transi-  
 gere liceat?* Vide Reiffenst. *h. t. n. 30. & seqq.*

## TITULUS XXXVII.

### *De Postulando.*

**I.** **N**omine POSTULANDI h. t. venit Advoca-  
 catus seu Patronus causæ; nam ut  
 dicitur *L. 1. §. Postulare ff. de Postulando.*  
 „Postulare est desiderium suum vel amici  
 „sui in judicio apud eum, qui jurisdic-  
 „tio præest, exponere, vel alterius desi-  
 „derio contradicere. Unde qui extra ju-  
 „diciam per modum consilii causam ali-  
 „quam defendit, non dicitur Advocatus,  
 „& hinc prohibitus advocare in judicio,  
 „non est prohibitus id facere consulendo.  
 „Circa Clericos h. t. statuitur:

2. „C. 1. Clerici etiam in minoribus  
 „Ordinibus constituti, si stipendiis Eccle-  
 „siasticis sustententur, coram sæculari Ju-  
 „dice Advocati fieri in sæcularibus nego-  
 „tiis non præsumant, nisi propriam cau-  
 „sam vel Ecclesiæ suæ fuerint persecuti,  
 „aut pro miserabilibus fortè personis; &  
 „ut dicitur C. 2. „Canonem, Monachis pro-  
 „hibentem advocare, à Canonicis quoque  
 „Regularibus esse observandum. Ratio  
 „quia

quia Constitutio fundata super aliqua qualitate, extenditur ad omnes existentes sub illa qualitate. Denique c. 3. & ult. h. t. ait Pontifex: „Cum Sacerdotis sit officium nulli nocere, omnibus autem velle prodesse, non nisi pro seipso vel Ecclesia sua, vel (si necessitas incumbat) pro personis sibi devinctis aut miserabilibus sibi licitum est postulare; nempe neque in Tribunali Ecclesiastico, neque sæculari. Nihilominus in Rom. Curia ex consuetudine & indulgentia Summi Pontificis etiam Clerici Advocationis munus obire possunt, ut notat Pirrh. *h. t. n. 12.* Extra Curiam facile obtinetur dispensatio, ut possint postulare in causis civilibus, & in criminalibus pro reo.

3. *An Advocatus possit patrocinari cause minus probabili?* Vide in Nucl. Theol. Exam. 3. n. 9. §. *Ex hoc.*

## TITULUS XXXVIII.

### *De Procuratoribus.*

**I.** PROCURATOR quasi pro alio Curator Germanicè *Anwald* est, qui aliena negotia mandato Domini administrat. Si sit constitutus ad negotia extrajudicialia, dicitur *Mandatarius*; si ad litigiosa, est *Procurator ad lites*. Uterque vel est gene-

K

ralis.

ralis, vel specialis, prout nimirum quis ad omnia bona & negotia administranda, vel lites omnes tam præsentis quam futuras prosequendas, aut ad certum negotium tantum vel certam litem expediendam constitutus est. Si Procurator generalis sit constitutus sub clausula: *Curia libera*, potest omnia facere, quæ ipse Dominus; si sit constitutus sine dicta clausula juxta *c. 4. & 5. h. t. in 6.* „ Ex vi generalitatis „ non potest agere in casibus, qui speciale „ mandatum exigunt, ut transigere, cuncta „ mina vel defectus opponere, &c. nam „ dicitur *c. 2. in Clement. h. t.* „ Sub generalitate „ graviora non veniunt, quam quæ „ procuratorio sunt expressa. Circa Procuratores „ h. t. specialiter statuta sunt sequentia:

2. I. In Decret. C. 1. mandat Pontifici „ Episcopo litigaturo, ut personam instruat „ etiam cum mandato legaliter factum „ stat, ut quidquid cum ea persona factum „ fuerit, jure subsistat. Unde Procurator „ in judicio se legitimare debet, quia gestum „ cum Procuratore falso in præjudicium „ Domini non valent. C. 4. „ Falsi seu „ revocati Procuratoris exceptio non „ lunt ante sententiam, sed etiam postea „ potest objici, utpote quæ probata „ cium nullum & nullius momenti cor

„roversiæ reputantur. Verùm ut habetur  
 C. 8. „ Si postquam in causa jam conclu-  
 „ sum est, ita ut nihil restet quàm sententia  
 „ ferenda, revocatio Procuratoris pro illa  
 „ causa dati impedire non potest, quo-  
 „ minus possit procedi ad sententiam. Et  
 C. 13. decernitur: „ Mandato procuratorio  
 „ post litem contestatam revocato si hoc  
 „ ignorante Judice vel adversario factum  
 „ fuerit, iudicium, quod idem quasi Pro-  
 „ curator postmodum expertus est, ratum  
 „ esse debebit. Ratio, quia Judicis & ad-  
 „ versarii interest, ut ipsis intimetur revo-  
 „ catio, ne aliàs frustra in iudicio fatigentur,  
 „ possetque clam revocans, si timeat causæ  
 „ suæ, post sententiam proponere exceptio-  
 „ nem falsi procuratoris, & sic ex dolo suo  
 „ commodum sentiret.

3. II. In 6. h. t. decernitur C. 1. „ Non  
 „ indiscretè Judex egit, Procuratorem lai-  
 „ cum ad agendum vel defendendum in  
 „ causis spiritualibus admittendo. Licèt  
 „ verò à Procuratore post litem contesta-  
 „ tam possit (cùm Dominus litis sit effe-  
 „ ctus) dari alius Procurator, qui dicitur  
 „ *Affter-Anwald*; antea tamen non potest,  
 „ nisi habeat mandatum cum potestate  
 „ substituendi alium. Procurator verò da-  
 „ tus ad negotia potest liberè quancocùn-  
 „ que alium deputare. C. 2. Ante litem

„contestatum etiam sine causa Procurator  
 „potest liberè revocari, non item postea,  
 „si nolit, nisi Domino inimicus fiat, vel  
 „suspectus, vel impeditus, aut alia ratio-  
 „nabilis causa subfit. C. 3. A Procuratore,  
 „habente ad hoc potestatem, substitutus,  
 „suscepto mandato, etsi eo usus non fue-  
 „rit, (licet in Delegato Papæ vices suas  
 „alteri committente aliud censeatur) ul-  
 „terius revocari non potest, nisi etiam  
 „revocandi potestatem habeat.

4. „C. 5. Nedum ad negotia, sed etiam  
 „ad Judicia filius - familias absque assensu  
 „patris potest fieri Procurator; ad negotia  
 „quidem post annum 17. ad judicia autem  
 „non nisi major 25. annorum. C. 6. Si duo  
 „Procuratores non in solidum depute-  
 „tur, unus sine altero non admittitur, (ex-  
 „ceptis causis electionum, &c. in quibus  
 „quia celeriolem expeditionem exigunt  
 „ex sic deputatis unus magis idoneus eligi  
 „potest) secus, si in solidum sint consti-  
 „tuti; sed tunc admittetur, qui per litis  
 „contestationem negotium prius occupa-  
 „bit; alter verò postea non amplius ad-  
 „mittetur, nisi priorem impediri con-  
 „tingeret, aut prosequi nolit, nec alium  
 „substituerit, tum secundus negotium  
 „prosequi poterit, primus autem nec im-  
 „pedimento cessante negotium resumet.

5. Denique C. 9. & ult. h. t. in 6. decernitur: „Procurator ad matrimonium contrahendum non aliter est utilis, nisi mandatum habeat speciale, sine quo propter rei arduitatem (ut fieri potest in aliis causis) neminem sibi potest substituere. Si verò, antequam contraxerit, à Domino revocatur, matrimonium postea ab eodem contractum (etsi tam ipse, quam persona, cum qua contraxit, revocationem penitus ignorent) nullius momenti existit, cum consensus Procuratorem constituentis deficiat. Ratio, quia in matrimonio jus positivum supplere nequit consensus jure naturæ & Divino requisitum, uti in aliis contractibus civilibus à jure humano pendentibus.

6. III. In Clement. c. 4. & ult. h. t. deciditur: „Procurator, à Prælato vel Rectore Ecclesiæ aut Beneficii pro Ecclesia sua vel Beneficio constitutus, per mortem constituentis revocatus censetur, etiam quoad negotia jam incepta, & in quibus per ipsum lis fuerit ante mortem hujusmodi contestata. Ratio decisionis est, quia per mortem jus illorum extinguitur, quod non transit ad successorem tanquam eandem cum defuncto personam; sicut in civilibus jus defuncti transit ad hæredem, cujus nomine re non in-

tegrâ Procurator potest sine novo mandato causam prosequi.

7. Ex his patet, differentiam esse inter Advocatum & Procuratorem; ille enim non tantum alienæ, sed etiam suæ causæ patrocinari potest; est semper etiam sine causa revocabilis, ac si colludat cum adversario, vel secreta suæ partis ipsi prodatur tanquam falsarius tenetur de *prevaricatione*. Econtra Procurator solum agit nomine alterius, cuius vicem supplet; potest contestatam litem nequit sine causa revocari, quia fit Dominus litis, non causæ, quatenus habet potestatem prosequendi litem concipiendo merita causæ, ejusque fundamenta in jure vel facto consistentia per verba in suam personam, & agendi, pro optimo factu videbitur; ipsiusque negligentia vel factum præjudicat Domino, nisi fines mandati egressus sit; ac si quid fraude, dolo aut culpâ ipsius gestum fuerit competit Domino *Actio Mandati*; Res autem judicatam propterea rescindi non oportet. *L. Si Procurator C. h. t.*

## TITULUS XXXIX.

### *De Syndico.*

**S**YNDICUS Latine *Defensor* propriè est ille, qui à Communitate v. g. Rep. C.

vitate, Capitulo, Monasterio alióve Col-  
 legio ad negotia ipsius pertractanda, ac  
 præcipuè ad causas illius & lites in judi-  
 cio prosequendas est constitutus. Differt  
 à *Procuratore*, quia is constituitur à pri-  
 vato Domino & in causis privatis; Item  
 ab *Actore*, qui ab Universitate ad unam  
 vel aliquas solùm causas constituitur, Syn-  
 dicus verò ad omnes præsentis & futuras  
 censetur datus, idque *cum Libera*, etiam non  
 sit expressum; neque per mortem Prælati  
 aut constituentium officium illius expirat,  
 quia Communitas moraliter intelligitur  
 permanere. Porro Syndicus constitui po-  
 test, sive sit de Collegio, sive extraneus.  
 Monet tamen Pontifex *c.un. h.t.* „ Ut Mo-  
 „ nachi Monasterii sui negotia, constituto  
 „ salario, generaliter alteri commendent;  
 „ expedit enim parvo incommodo à stre-  
 „ pitu causarum servos Dei quietos existe-  
 „ re. Absolutè tamen potest etiam Mona-  
 „ chus in causa sui Monasterii Syndicus con-  
 „ stitui. An Prælatus sine consensu Con-  
 „ ventûs possit amovere Syndicum, cum  
 „ utriusque consensu institutum? Disputat  
 Pichler *decis. 39.*



## TITULUS XL.

*De his, quæ vi metûsque causâ fiunt.*

1. **V**IS seu coactio est majoris rei impetus, cui resisti nequit, inducens necessitatem voluntati oppositam, sicque consensum prorsus excludit & peccatum, v.g. in stupro merè violento fœminâ corpore & animo pro posse contranitente; violentum enim definitur: esse id, *quod fit extrinseco, passo non conferente vim*, i.e. non concurrente aliquâ voluntate ad talem actum ob defectum consensûs, v.g. Baptismus per vim invito collatus, & omniâque per vim gesta sunt ipso jure nulla. Circa vim ablativam mobilium specialiter statuitur *c.7. h.t.* „Postquam de violentia per testes & de amissis rebus constiterit, potest Judex taxatione à spoliato factâ pro personarum ac negotiorum qualitate, spoliatorem in æstimatione rerum amissarum juramento spoliati declarata condemnare. Idque statutum in odium inuasoris & favorem vi passi, licet aliàs actore non probante reus sit absolvendus, & nemo in propria causa testis aut Judex esse possit.

2. **METUS** est mentis trepidatio instantis seu mox futuri periculi causâ, sive ex

passio vel motus animi imminens aliquod malum fugientis. Per se relinquit simpliciter voluntarium & liberum, adeoque non excusat à peccato eum, qui transgreditur legem pro casu metûs adhuc obligantem, juxta dicta in Nucl. Theol. *Exam. 1. n. 5.* Et hinc monet Pontifex *c. 5. h. t.*, „ nullo metu debet quis peccatum mortale incurrere: Ut fornicari, cum excommunicato communicare in crimine vel in contemptum Ecclesiæ &c. Verùm quænam Leges cessent pro casu metûs, quæ non? Vide in Nucl. Theol. *l. c.*

3. Metus gravis seu cadens in constantem virum injustè incussus ad extorquendum consensum varios actus ipso jure reddit irritos, v. g. Professionem Religiosam, nisi profitens cessante metu eam postea ratam habuerit, juxta *c. 1. h. t.* uti cætera vota ob rationem datam in Nucl. Theol. *Exam. 16. n. 3. §. 2.* item Matrimonium, de quo in Nucl. Theol. *Exam. 30. n. 8. &c.*

4. Econtra metus gravis alios actus, quamvis non ipso jure invalidos, facit tamen ad arbitrium metum passi, vel auctoritate Judicis rescindibiles. Sic *c. 2. h. t.* „ Cum R. metu gravi coactus Ecclesiam „ suam abjuraverat, & alteri fuerat concessa, Pontifex, quia, quæ vi & metu

„ fiunt, de jure debent in irritum revocari,  
 „ mandavit prædicto R. cum integritate  
 „ restitui universa. C. 3. Cùm quidam Ele-  
 „ ctioni de se factæ in Plebanum Ecclesiæ  
 „ A. ad terrorem laicorum renuntiârît, re-  
 „ scribit Pontifex, hujusmodi renuntiatio-  
 „ nem (nisi juramento sit confirmata) non  
 „ impedire, quominus electus iste Eccle-  
 „ siæ præficiatur eidem. Et C. 4. Cùm M.  
 „ Ecclesiam esset Canonicè adeptus, &  
 „ gravissimo metu, quòd eam resignaret,  
 „ jurare coactus in manibus, ad quos per-  
 „ tinebat, resignâisset; mandat Pontifex,  
 „ quia, quæ vi metusve causâ fiunt, carere  
 „ debent robore firmitatis, eidem non ob-  
 „ stante juramento (quo non ad repeten-  
 „ dum, sed solummodo ad resignandum  
 „ beneficium tenebatur) præfatam Eccle-  
 „ siam restitui.

5. At ex tali metu gesta & juramento fir-  
 mata (cùm juramentum etiam per inju-  
 riam extortum ex Religione erga Deum  
 obliget ad licita, juxta dicta in Nuc. Theol.  
*Exam. 16. n. 10.*) non nisi petitâ relaxatione  
 juramenti rescindi possunt. Dixi: *Metu*  
*gravis*, quia ob metum levem seu non ca-  
 dentem in constantem virum Pontifex c. 3.  
*b. t.* „ super restitutione petita silentium  
 „ duxit partibus, *actionem*, *Quod metu*  
 „ *causâ*, opponentibus, imponendum.

## TITULUS XLI.

*De in integrum Restitutione.*

**R**ESTITUTIO IN INTEGRUM propriè est Beneficium seu remedium juris extraordinarium, quo certis personis, v. g. Ecclesiæ, minorenni, &c. per contractum aliumve modum graviter læsis, ex naturali æquitate, ob imbecillitatem ætatis, dolum, negligentiam administratorum vel absentiam, per officium Judicis subvenitur, ut reducantur in eum statum sive jus, in quo fuerant ante læsionem. Differt ab *ordinario remedio*, quo quibusvis etiam majorennibus enormiter seu ultra dimidium læsis conceditur, ut emptor arbitrio suo vel justum pretium suppleat, vel rem restituat recepto pretio. Circa restitutionem in integrum pluribus agunt Civilitæ; Jus Canonicum specialiter statuit sequentia:

2. I. In Decret. *c. 1. h. t.* „Si Ecclesiæ  
 „ possessiones laicis sub modico censu  
 „ concessit, ut manifestè læsa sit, cum jure  
 „ minoris semper debeat illæsa servari, re-  
 „ scribit Pontifex, ut, quæ in damnum  
 „ ipsius data constiterint, ad proprietatem  
 „ debeant redire ipsius; providendum  
 „ esse tamen, ne, si fortè coloni possessio-  
 „ nes

„nes illas fecerint meliores expensis ac  
 „labore suo, sumptibus, quos bono animo  
 „fecerunt, debeant defraudari. C. 2. Quia  
 „procurator monasterii R. ejus privilegia  
 „coram Judicibus exhibere omiserat ne-  
 „gligenter, ne ipsius negligentia redun-  
 „det in damnum Monasterii, Pontifex  
 „illud restituit contra Episcopum. Et C. 3.  
 „Cum duæ Ecclesiæ litigantes post causa  
 „conclusionem proponerent, quòd utra-  
 „que necessariam probationem omiserit,  
 „Pontifex attendens, quòd utraque Ec-  
 „clesia fungatur jure minoris, utramque  
 „restituit contra reliquam ad probandam  
 „rationem omiffam.

3. Item c. 8. h. t. „Cum Pater fratrum  
 „G. Laici & J. Canonici minorennium  
 „quasdam possessiones ex successione  
 „matris rebus humanis exemptæ ipsos  
 „contingentes vendidit, ac, ut hujusmodi  
 „venditio robur firmitatis haberet, eman-  
 „cipavit eosdem, & fecit eos contractui  
 „consentire, Pontifex eos in integrum ad  
 „jus Retractûs Gentilitii restitui manda-  
 „vit. Ex quo patet, quòd per emancipa-  
 „tionem quis non amittat jus minoris; fe-  
 „cus, si quis à Principe obtineat veniam  
 „ætatis. Item quòd Clericus minor resti-  
 „tuatur contra læsionem in bonis patri-  
 „monialibus vel aliis; majorennis autem

non nisi contra læsionem in juribus beneficii.

4. II. *In 6. c. j. h. t.* statuitur: „Ecclesia,  
 „quæ ad retractandam sententiam vel  
 „contractum per beneficium restitutionis  
 „in integrum postulat se admitti, si qua-  
 „driennii spatium post sit lapsum, & ne-  
 „gligenter omiserit, non est ad beneficium  
 „hujusmodi admittenda, nisi prævarica-  
 „tionis vel fraudis manifestæ super hoc  
 „probetur intervenisse commentum, aut  
 „alia rationabilis causa subsit; tunc enim,  
 „ut dicitur in *Clement. c. un. h. t.* ab Eccle-  
 „sia adversus lapsum temporis, in quo se  
 „læsam æstimat, in integrum restitutio  
 „peti potest.

5. Solet hinc à Canonistis specialiter exam-  
 minari: *An Clerico minorenni in permuta-  
 tione vel resignatione sui Beneficii erga  
 tenue seu sub modica pensione graviter læso  
 danda sit restitutio?* Communior affir-  
 mat, siue fuerit jam alteri collatum, siue  
 non. *Nec obstat L. Quòd si minor. §. Scævola. ff. de minoribus*, ubi dicitur: Si mi-  
 nor repudiavit hæreditatem, esse quidem  
 restituendam, si omnia sint integra; secus,  
 si distractâ hæreditate res non sit amplius  
 integra. *Nam Disp. est, quòd hinc agatur  
 de lucro captando seu de acquirenda hæ-  
 reditate, quam utpote repudiatam minor*

nunquam habuit; in priori casu agitur de damno vitando ex amissione rei jam habitæ, ad quod Clerico minori graviter læso, etiam re non integrâ, jus vult subveniri.

## TITULUS XLII.

*De alienatione mutandi iudicii  
causâ facta.*

**I.** Per hanc ALIENATIONEM intelligitur ea, per quam quis, metu litis impendentis, dolo malo rem, vel possessionem, vel actionem, super qua quispiam litem sibi movendam suspicatur, transfert in alium potentiolem, vel subjectum alteri foro, ut sic actori litem duriolem constituat. Contra quam Prætor ad talibus fraudibus obviandum ex naturali æquitate indixit, quòd taliter læsus possit intentare vel contra sic dolosè alienantem, *actionem in factum ad interesse*; vel contra talis rei cessionarium *actionem in Rem* ad rei vindicationem seu exceptionem, ut maluerit. Dixi, *litis impendentis*, quia si lite jam intentatâ res litigiosa alienetur, alienatio est ipso jure civili irrita, ut nullo Prætorio restitutionis remedio opus sit, & variæ pœnæ contra alienantes & ementes rem litigiosam sunt statutæ *L. ult. C. de litigio*. Jus Canonicum *b. t.* statuit

2. C. 1. in Decret. „Cum aliqui literas  
 „Commissionis impetrâssent à Pontifice,  
 „adversarii, ut mandatum hoc eluderent,  
 „antequam literæ ad Judicem pervene-  
 „rint, vel etiam postea, priusquam citati  
 „essent, commutationem facientes, ali-  
 „quos in possessionem eorum, de quibus  
 „controversia vertebatur, malitiosè in-  
 „ducebant; Pontifex, contra prædictam  
 „calliditatem & versutiam providere vo-  
 „lens, mandat, eos, qui in possessione  
 „se ingesserunt, appell. cess. juris æqui-  
 „tati parere. Et c. 2. Cum quidam Cle-  
 „rici sibi dono vel pretio cedi facerent  
 „actiones laicorum per Judicium sæcu-  
 „lare dirimendas, ut adversarios ad Ec-  
 „clesiasticum forum traherent, & præ-  
 „dam ex hujusmodi commercio asseque-  
 „rentur, decernit Pontifex; cum emptio-  
 „nes & cessiones litium legitimæ prohi-  
 „beant sanctiones, ita quòd jacturâ causæ  
 „adficiant illos, qui sibi potentiorum pa-  
 „trocinium taliter advocare præsumunt;  
 „& ex eo sint etiam odiosæ, quòd ex fon-  
 „te cupiditatis videantur procedere, ut  
 „Clerici à præsumptione hujusmodi per  
 „Censuras Eccles. compescantur.

✠ (†) ✠

TITU-

## TITULUS XLIII.

*De Arbitris.*

I. **A**RBITER, sic dictus ab arbitrando, proprie est persona idonea, quæ ex juris dispositione vel partium libera conventionione est constituta & electa, ut ad instar Judicis, per viam cognitionis judiciaria de jure & facto, circa controversiam exortam judicium seu animi sui sensum proferat. Si ex præscripto Legis Arbitri constitui debeant, v. g. si de causa suspicionis Judici ordinario vel delegato objecta sit cognoscendum, vel si super Rescriptis Apost. ad diversos Judices oriatur controversia, aut inter Episcopum cum Clerico sibi subjecto, &c. tales dicuntur *Necessarii*, quia ex juris necessitate eliguntur, & ab eorum Laudo seu arbitrio appellari potest. Econtra Arbitri electi à voluntate partium (qui dicuntur *Voluntarii* seu *Compromissarii*) non vi jurisdictionis, sed vi conventionis partium controversiam per sententiam dirimunt; à qua non datur appellatio, sed pronuntiato Laudo si una pars stare nolit, alteri competit *actio ad Interesse*, si sit simpliciter compromissum, sive pacto nudo juxta Jus Canonum cum, sive vestito, v. g. stipulatione alio

modo juxta Jus Civile; si verò compromisso tantum sit adjecta pœna, illâ solutâ potest nolens stare Laudo, ab eo recedere, ac ad Judicem ordinarium redire, nisi Laudum sit homologatum, i. e. approbatum vel expressè vel tacitè taciturnitate decem dierum, tunc enim amplius reprobari nequit.

2. Porro Arbitrator differt ab *Arbitratore*, (qui est quasi mediator seu amicabilis compositor) quia hic à partibus assumptus de plano & non servato juris ordine, sed ex æquo & bono rem componit sive litigiosam, sive extrajudicialem, v. g. in divisione rerum taxando earum pretia, & cuilibet tribuendo portionem suam, quæ ipsum contingit. Verùm illius arbitramentum partes per se seu secluso speciali pacto approbare vel reprobare possunt. Circa Arbitros *h. t.* statuitur:

3. I. In Decret. c. 1. „Si ex communi placito eorum, inter quos causa versatur, Arbitros elegerint, aut unus eligatur, aut tres, ut, si tres elegerint, aut omnium sequantur sententiam, aut duorum. Ast numerus Arbitrorum impar non est de præcepto, sed de consilio, ut, si dissensio inter Arbitros oriatur, judicio majoris partis arbitrium citius finiatur. C. 6. „Licet in judicio convenientem reconveni-

„re valeatis, qui coram Iudice conventur, coram Arbitris tamen reconvenire non potest, cum Arbitri iudicare non valeant, nisi de his tantum, de quibus & super quibus in eos extiterit compromissum.

4. C. 8. „Generaliter prohibemus, super rebus spiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur. Et C. 9. Arbitrium per unum Clericum & duos laicos de alicuius sensu Episcopi intervenientes Pontifex decernit per se ratum haberi debere. Unde licet laici nequeant privatim esse Arbitri super re spirituali, nec coniudicare super Clericos auctoritate Episcopi, cum sint jurisdictionis spiritualis incapaces, possunt tamen esse coarbitri cum Clerico, quia Arbitri compromissarii non accipiunt jurisdictionem in rem vel personam, sed tantum habent quandam cognitionem.

5. C. 10. Vacante Præpositurâ Canonici vota sua diviserant in H. & C. qui electi compromiserunt in suum Archi-Episcopum, à quo ipsis dies ad ferendam sententiam præfinitus; at præfatus H. de mediocri sublato prohibuit, ne suâ pendente sententia procederent ad novam electionem, quidam nihilominus B. Canonicum elegerunt.

gerunt. Ad quod Pontifex respondet, quod, licet arbitrium sit finitum per mortem ipsius H. compromittentis, prius tamen de primæ electionis meritis cognoscere debuerit, (*non quâ Arbitrator, sed quâ Ordinarius*) quàm processus fieret ad secundam; nam si forte prædictus C. qui est superstes, in electione jus habet, de qua compromissio facta fuit, electionem factam de secundo constat penitus non valere.

6. C. 12. „Cum à G. & O. laicis coram  
 „Judicibus delegatis erat in duos Arbitros  
 „compromissum, sic tamen, quòd, si illi  
 „duo ad invicem discordarent, tertium  
 „adderent Judices nominati, cùmque ter-  
 „tius Arbitrator à Judicibus prædictis electus  
 „alteri arbitrorum accessisset, mandat  
 „Pontifex, quatenus, si ita est, cùm legali  
 „sit provisione statutum, ut compromis-  
 „sum de incerta persona per Arbitrum  
 „assumenda non teneat, eorum senten-  
 „tiam denuntiari penitus nullam esse. Ra-  
 „tio decisionis est, quia in eligendo tertio  
 „Judices vel Arbitri possunt dissentire, & sic  
 „tale compromissum aptum natum est lites  
 „protrahere. Nihilominus si facto com-  
 „promisso in duos ipsi discordent, potest  
 „Judex eos cogere ad assumendum ter-  
 „tium, quia tunc ob discordiam in electio-

ne tertii non est periculum protrahenda  
 litis. Verum C. 13. „ Quæstione subor  
 „ inter A. & S. partes in Legatum Apost  
 „ compromiserunt sub certa pœna, quod  
 „ arbitrio ejusdem vel duorum mediato  
 „ rum, quos idem super hoc deputare  
 „ parerent; P. & I. mediatores deputat  
 „ definiendo causam terminaverunt,  
 „ quod per hos actum est, auctoritate  
 „ Apost. confirmatur. In casu capitis præ  
 „ arbitris non dabatur ab initio & absolute  
 „ potestas eligendi tertium, sed sub condi  
 „ tione: *Si discordarent*; in hoc autem casu  
 „ datur Legato ab initio & absolute potestas  
 „ causam terminandi vel per se, vel per ar  
 „ bitros à se eligendos, & sic cessat illud peri  
 „ culum litis nimis diu protelandæ.

7. II. *In 6. h. t.* statuitur c. 1. „ Si ex tri  
 „ bus arbitris te duo in decem, & tertius  
 „ quinque condemnent, debet sententia  
 „ prævalere duorum; licet cum unus  
 „ quindecim, alius in decem, tertius in  
 „ quinque pronuntiant, illius qui de sum  
 „ ma dixit minori, (cum in illa omnia  
 „ concordet sint virtualiter & implicite  
 „ quia summæ majori minor inest) sen  
 „ tentia efficax censeatur. Quod verum  
 „ est, etsi alii duo protestentur, se nolle illi  
 „ consentire, quia protestatio contra ea, quæ  
 „ ex juris dispositione pendent, nihil operatur.